









ANTIQUA
ECCLESIAE SYRO-CHALDAICAE
TRADITIO
CIRCA
PETRI APOSTOLI
EJUSQUE SUCCESSORUM
ROMANORUM PONTIFICUM
DIVINUM PRIMATUM.

Accedunt duae Appendices, quarum altera de ratione Patriarchatuum Chaldaeorum, Syrorum et Maronitarum quoad Sedem Apostolicam; altera de definitione Infallibilitatis Romanorum Pontificum quoad populos Syro-Chaldaeos.

AUCTORE

JOSEPHO DAVID

CHOREPISCOPO MOSSULENSI



ROMAE

TYPIS S. C. DE PROPAGANDA FIDE

SOCIO EQ. PETRO MARIETTI ADMIN.

1870.

AD LECTOREM

Non est mihi mens in hac qualicumque elucubratione theologicum tractatum *de Romano Pontifice* tibi, Benevole Lector, offerre. Id tantum mihi ipse proposui, ex *monumentis antiquis Syrochaldaicae gentis* ostendere, quae ejus fuerit doctrina circa Petri Romanique Pontificis primatum. Nihil ergo per totam meam elucubrationem attingam, quod ad hanc gentem non pertineat, nihil quod ad tempora recentiora referatur, nisi forte obiter. Per tempora autem recentiora intelligo ea quae Ecclesiae Syrochaldaicae unioni seculis posterioribus cum Ecclesia Romana factae, successerunt.

Denique Te enixe rogo, ut seposita omni praeformata sententia, judicium de opinionibus propositisque meis suspendere velis, donec attente, si id ferre possis, me totum legeris. Vale.

INDEX



PROLEGOMENA

Antiquitas et extensio Ecclesiae Syrochaldaicae.

Magnam habuit olim in historia ecclesiastica partem *Syrochaldaica* natio, de cuius doctrina circa B. Petri ejusque successorum primatum in hoc opusculo tractaturi sumus. Haec Semitica gens, quae modo *Aramaica,* modo *Syriaca,* modo *Chaldaica* in veterum monumentis dicitur (licet postrema denominatio propria sit specialis propaginis, ut communis fert sententia, illius populosissimae nationis), quaeque maximam antiqui Orientis partem incolebat, scilicet Phoenicen, Syriam, Mesopotamiam, Assyriam, Chaldaeam, et Persidem occidentalem; haec, inquam, gens inter antiquas nationes non infimum occupat locum, utpote quae meruit ut ejus terra prima religionis christianae semina reciperet, ejusque lingua Domini nostri Jesu Christi ipsiusque discipulorum usu quotidiano sanctificaretur.

Utilitas quam Theologia ex hujus Ecclesiae monumentis acquirit.

Sed quod scientiae sacrae amicorum attentionem ad hanc gentem maxime attrahit, est magna utilitas quae ex ipsius monumentorum investigatione theologica studia acquirunt. Etenim *Syrochaldaici* populi, etsi inde a primis historiae christianae seculis, schismatibus intestinisque dissensionibus religiosis lacerati, ab unitate Ecclesiae catholicae se separare coeperint, atque sic paulatim in quatuor magnas sectas

Hujus Ecclesiae divisio in quatuor sectas.

divisi fuerint, scilicet *Nestorianorum, Jacobitarum, Maronitarum*, atque *Melchitarum;* divina tamen providentia factum est, ut omnia sacrae traditionis elementa, quae ante suam ab Ecclesia catholica separationem possidebant, per tot secula diligenter custodierint, intactaque fere usque ad nos transmiserint.

Veritates traditionis catholicae ab hac Ecclesia custoditae.

Eruditi enim viri, in Orientalium ecclesiastica litteratura et theologicis studiis apprime versati, magno cum gaudio demonstrant, nullum esse in deposito fidei dogma, nullum disciplinae caput ab Apostolis traditum, quorum vel clara vel saltem adumbrata vestigia in antiquissimis illius nationis documentis non inveniantur. Sic felicissimo prorsus successu Theologi nunc ex vetustis illius Ecclesiae documentis validissima hauriunt argumenta pro veritate Purgatorii, B. Mariae virginitatis atque immaculatae conceptionis, Sanctorum intercessionis, verae et realis D. N. J. Christi in Eucharistia praesentiae, transubstantiationis, sacramentorum numeri, effectuum, ac naturae, ceterorumque tum dogmatis tum disciplinae capitum, quae hodierni Protestantes non erubescunt papisticas appellare novitates.

Quid dicendum de sensu hujus Ecclesiae circa Petri successorumque primatum?

Si hoc de omnibus fidei catholicae articulis fidenter asserere possumus, exceptis iis quos evidenter constat haereticos homines processu temporis immutasse vel depravasse, idemne dicendum erit de fundamentali Ecclesiae catholicae doctrina, scilicet de *divino B. Petri ejusque successorum primatu?* Habuitne igitur Ecclesia Syrochaldaica in suo fidei deposito, quod ab Apostolis acceperat, hanc etiam veritatem sicut et ceterae Ecclesiae apostolicae, ita quidem ut id demonstrari certis argumentis possit?

In hoc curiosissimo seculo, in quo cuncta sciendi cupido longe lateque regnat, non inopportunum nec ingratum erit hujus quaestionis solutionem investigare.

Affirmativa responsio.

Jam vero huic quaestioni ego respondeo *affirmative;* et magnopere gaudeo, quod munus ab aliis me praestantioribus viris circa alias orientales nationes susceptum, mihi incumbat circa nationem meam Syrochaldaicam, demonstrandi scilicet ex hujus Ecclesiae antiquis documentis *veritatem doctrinae catholicae de primatu jurisdictionis et magisterii, quem Christus Petro ejusque successoribus pro bono Ecclesiae dedit.* Rem fere novam aggredior, quod ego sciam. Nam qui ante me hanc materiam quomodocumque tractarunt, quales sunt Faustus Naironus in *Evoplïa Fidei Catholicae part. 3 cap. 2,* Abraham Ecchellensis in *Eutych. Patr. Alex. vind. part. 2 cap. 14 et seq.,* denique Assemanus in *Bibl. Or. t. 3 p. 2. de Syris Nestorianis cap. 7.* §. XXI., hi inquam, omnes Maronitae, nonnisi primoribus hanc rem attingere labris potuere, utpote qui non ex proposito rem aggressi sunt. Magni profecto ponderis atque pretiosissimum pro hac veritate testimonium hujus Ecclesiae esse debere nemo non videt, si consideret hocce testimonium apprime ipsum statum in quo per tot secula illae gentes misere jacuere, statum scilicet schismatis et defectionis, alta voce condemnare.

Investiganda Nestorianorum et Jacobitarum antiqua monumenta.

Ne pigeat igitur, potissimum hoc tempore quo divinae Petri ejusque successorum praerogativae variis impugnantur conatibus, sequentibus paginis antiqua Syrochaldaicae gentis monumenta investigare, indeque eruere praeclaram circa hoc religionis caput

traditionem, ab illa gente intacte custoditam. Verum enimvero, cum gens Syrochaldaica jam a primis temporibus, ut supra notavimus, in quatuor sectas ab invicem prorsus separatas se diviserit, nos in hujusmodi investigatione, nonnisi duarum ex his sectis monumenta perlustrabimus, *Nestorianorum* inquam et *Jacobitarum*, quorum hi *Syrorum* nomine, illi *Chaldaeorum*, post recentiorem cum Ecclesia Romana initam unionem, dignoscuntur. Nam quod attinet ad *Melchitas*, qui etsi initio quidem soli ex Syrochaldaica gente Ecclesiae catholicae uniti remanserant, postea tamen diluvio schismatis Constantinopolitano irruente et ipsi ab illo cum ceteris populis orientalibus absorpti sunt, ii nullum praebere possunt documentum pure Syrochaldaicum, utpote qui jam a priscis temporibus Ecclesiam Graecam Constantinopolitanam, licet in patriarchatu Antiocheno existerent, in omnibus secuti erant; nullumque per tot secula antiquae originis vestigium servaverunt praeter usum linguae Syriacae, quam deinceps in Arabicam, qua hucusque simul cum Graeca utuntur, immutarunt; ita ut eorum testimonium omnino Graecae Ecclesiae testimonio aequivaleat. *Maronitae* autem vel nulla habuere propria monumenta; vel si qua habuere, ea maxima ex parte temporis injuria periisse dicenda sunt; nam quae apud ipsos supersunt, eadem fere ejusdemque valoris sunt ac quae Jacobitarum Ecclesia suppeditat. In tota igitur hac tractatione per Ecclesiam vel gentem *Syrochaldaicam*, cum sermo est de temporibus schismata praecedentibus, intelligimus totam nationem seu Ecclesiam, lingua *Aramaica* utentem, non adhuc in sectas divisam; cum vero

Melchitae non amplius partem formant Ecclesiae Syrochaldaicae.

Maronitarum nulla prostant propria monumenta.

agitur de temporibus quae inde a schismatum invasione profluxerunt, intelligimus *Nestorianos* et *Jacobitas*.

Classificatio monumentorum Ecclesiae Syrochaldaicae.

Jamvero monumenta, in quibus Ecclesiae orientales sacras suas consuetudines ac traditiones servarunt nobisque transmiserunt, post venerandas Veteris ac Novi Testamenti tabulas, in tres dividi possunt classes. Quarum prima *libros liturgicos* complectitur, omnium gravissimos, maximamque auctoritatem praeseferentes, utpote qui non unius aut alterius Doctoris exhibeant sententiam, sed integrae nationis seu Ecclesiae, perenni usu eos adhibentis. Secunda classis comprehendit *canonicos libros*, qui secundum post liturgicos codices merentur considerationis locum. Ad tertiam denique classem pertinent *scripta singulorum Doctorum* sive auctorum qui de iure canonico, sacra theologia, vel ecclesiastica historia scripserunt.

De intrinseco valore librorum liturgicorum.

Pauca de horum monumentorum intrinseco valore quoad Syrochaldaeos. Libri itaque liturgici Ecclesiae Syrochaldaicae, licet per manus Schismaticorum ad nos pervenerint, catholicam tamen fere in universum habent originem. Id autem patet primo ex eo, quod, ut peritis notum est, orientales populi communiter antiquitatis tenacissimi sint, nec nisi magna cum difficultate novitates admittant. Dicendum igitur est, hos libros, qui divini cultus rationem continent, apud illos populos ante schisma compositos fuisse, cum nulla intercesserit causa, cur, prioribus libris quos ante schisma habuerant rejectis, novos creaverint; exceptis illis additamentis vel mutationibus huc illuc ab iis inductis ad fovendam suam novam haeresim.

Deinde id patet ex perfecta similitudine, quae passim regnare conspicitur inter libros a Chaldaeis adhibitos et illos Syrorum imo etiam Maronitarum; quod evidentissimum est argumentum, hos libros ante schismatum tempora, saltem in summaria parte, jam extitisse; namque, ut eruditis compertum est, hi populi postquam per schismata ab Ecclesia catholica et ab invicem se separaverint, mutuo sese odio ita prosequebantur, ut impossibile omnino fuisset, ut una ab altera secta aliquid vel minimum mutuaretur. Hinc est quod quaedam novitates, quas constat aliquam ex iis sectis in sacram liturgiam induxisse, apud ceteras non reperiantur. Sic exempli gratia *Canones* dicti *Graeci*, quos constat seculo VIII°. a S. Joanne Damasceno invectos esse, apud Syros seu Jacobitas quidem usu perenni recepti sunt, a Nestorianis autem et Maronitis nequaquam agnoscuntur; cum e contra *Syriaci Canones*, quos et *Orientales* nuncupant, apud omnes illas tres nationes partem constituant divinae liturgiae.

Et canonicorum.

Libri autem canonici sunt publici iuris codices, uniuscujusque sectae continentes paterna statuta agendique regulas, quibus illa per multorum seculorum cursum directa est et usque ad hoc tempus dirigitur.

Denique doctorum privatorum.

Denique quod spectat ad Doctores privatos, fateor me in hoc exiguo opere prae catholicis scriptoribus schismaticorum potius auctorum testimonia vestigasse, non quod catholici scriptores doctrinam de Petri ejusque successorum suprema auctoritate non tradiderint, sed quod Schismaticorum testimonia majus in re nostra habeant pondus, utpote reddita in

causa quae eis nocet; catholicorum autem Doctorum veterum iam satis exhibita sit sententia per ea quae protulerimus ex libris liturgicis, qui ipsorum scriptis maxima ex parte constant. Ceterum qui accuratam omnium horum scriptorum notitiam habere desiderat, adeat Assemani *Bibliothecam Orientalem*, ubi pretiosas sane de singulis plerisque supra memoratae triplicis classis codicibus inveniet notitias.

Codices ex quibus desumpta sunt testimonia.

Fere autem omnia hujus triplicis classis documenta, quae sensum Ecclesiae Syrochaldaicae circa Petri ejusque successorum primatum nobis testantur, hausi pro hac mea elucubratione ex ditissima aeque ac pretiosissima Bibliotheca vetustorum copiosissimorumque codicum manuscriptorum, quos per tres elapsos annos magnis sumptibus summisque laboribus a me S. Congregationi de Propaganda Fide in Mesopotamiae partibus acquisitos, anno superiori Romam attuli, et in bibliothecam illius S. Congregationis jussu Emi ac Revmi Card. Alexandri Barnabò ejusdem S. Congregationis Praefecti deposui; quorumque catalogus mox, Deo opitulante, in lucem prodibit.

Versio latina locorum citatorum, eorumque textus originales.


Age vero, auctorum quos in hoc opusculo citare datum est, testimonia omnia per versionem Latinam fidelissimam, et quantum fieri posset litteralem, exhibere conatus sum. Ne autem paginarum ordinata et concinna textura impediretur, textus ipsos nativa lingua propriisque litteris exaratos, idest Chaldaicis, Syriacis, vel nonnunquam etiam Arabicis, ad calcem libri uno loco exhibui, juxta citationis ordinem dispositos.

Auctoris veniae petitio.

Denique antequam haec Prolegomena absolvam, supplex rogo benevolos Lectores, ut indulgenti venia

me prosequi velint, quod ineleganter impropriaque latinitate et forte alicubi minus recte scripserim, utpote qui ob temporis angustiam festinatum opus digerere non potuerim, quique per quindecim elapsos annos in Oriente degens rebusque orientalibus prorsus deditus, nullum omnino latinitatis habuerim usum, a talibusque studiis omnino destitutus permanserim.

Scribebam Romae die 15 Augusti festo Assumptionis B. M. Virginis an. 1870.





ARTICULUS I.

DE SENSU ECCLESIAE SYROCHALDAICAE CIRCA PETRI APOSTOLI PRIMATUM AC DOTES INDE MANANTES.

Cum dogma quod Ecclesia catholica tenet, respiciens S. Petri apostoli ejusque successorum Romanorum Pontificum primatiales praerogativas, sit veritas divinitus revelata et proinde per apostolicam traditionem ad nos usque pervenerit, sequitur hanc veritatem debuisse quocumque tandem modo Ecclesiae orientali notam esse. Id quod maxime de Ecclesia Syrochaldaica dicendum est, quae omnium Ecclesiarum prima, ut historia sacra testatur, fundata est.

Jam vero, ut a Petri primatu incipiamus, venturi deinceps ad primatum Romanorum Antistitum, in Syrochaldaeorum monumentis quae prae manibus habemus, multa eaque insignia sunt documenta, ex quibus evidenter constat hujus Ecclesiae traditionem circa sensum quo accipienda sunt Christi verba apud Matth. XVI. 18. 19. quibus Dominus noster primatum jurisdictionis in universam suam Ecclesiam Petro promisit, et illa apud Joannem XXI. 15. 16. 17. quibus hanc promissionem adimplevit, traditionem inquam Syrochaldaicae Ecclesiae circa divinum Petri primatum eandem esse ac illam quam tenuit semper et tenet sancta Romana Ecclesia. Immo vehementiores videntur esse locutiones, quibus ad doctrinam hanc religionis fundamentalem exprimendam utitur Ec-

clesia illa orientalis, et majora, si ita loqui fas sit, jura diceremus eas Petro tribuere, quam quae in monumentis Ecclesiae Latinae occurrunt.

Ad vitandam vero perturbationem in afferendis hujusmodi testimoniis, in duas ea dividemus series, alteram ex libris liturgicis desumptam, alteram ex auctoribus canonicis vel theologicis. Sed ante omnia operae pretium esse existimamus, ipsa evangelica loca insignia, quibus praecipue doctrina de B. Petri ejusque successorum primatu jurisdictionis et magisterii innititur, exhibere, prout ea Syrochaldaica Ecclesia legit.

§. 1.

De evangelicis secundum lectionem Syrochaldaeorum locis praecipuis, quibus primatus Petri apostoli demonstratur.

Cum primum et praecipuum divinae revelationis fundamentum sit Sacra Scriptura, non abs re esse ducimus celebriora loca quae vulgo ad B. Petri primatum adstruendum adducuntur exhibere, juxta lectionem Syrochaldaeorum.

Eruditis notum est, Syrochaldaeos omnes cujuscumque tandem fuerint communionis, non exceptis ipsis Melchitis, ab immemorabili antiquitate, in usibus tum publicis tum privatis, unam eandemque adhibuisse semper Sacrae Scripturae versionem, vulgo *Peshitta* voce nativa nuncupatam (1). En igitur tria Evangelii celebriora loca, ad Petri primatum spectantia, juxta hanc versionem:

1. Locus Matthaei XVI. 18. 19. ita syrochaldaice sonat:
A « Respondit Jesus, et dixit illi: Beatus es, Simon fili » Jonae, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater

(1) Posterioribus seculis Syri Jacobitae altera Novi Testamenti versione, dicta Heracleensi, in publico cultu uti coeperunt, non intermisso simul usu prioris versionis, idest Peshittae. Sed de his non est hic locus fusius disserendi.

» meus qui est in coelis. Ego etiam dico tibi: Tu es Petra, » et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam, et » portae Inferi non expugnabunt eam. Et tibi dabo claves » regni coelorum; et quidquid ligaveris in terra, erit ligatum in coelis; et quod solveris in terra, erit solutum in » coelis. » Nota, Doctores communiter tenere s. Matthaeum evangelium suum Syrochaldaica lingua scripsisse. In hac hypothesi, tenor hujus loci evangelici, prout sanctus evangelista illum scripsit, sonaret ut mox retulimus. Sed quidquid sit de hac opinione, certum est Dominum nostrum cum Discipulis suis locutum esse lingua tunc apud Hebraeos vigente, quae erat Syrochaldaica, quam in Assyria quo a Nabuchodonosor rege asportati erant, didicerunt, revertentesque in patriam conservarunt.

Igitur nullum dubium esse potest, quin Christus Petrum suam divinitatem confessum volens remunerari, dixerit illi, ut habet lectio Syrochaldaica: ܐܢܬ ܗܘ ܟܐܦܐ ܘܥܠ ܗܕܐ ܟܐܦܐ ܐܒܢܝܗ ܠܥܕܬܝ idest: « Tu es Petra, et super » hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam. » Nota etiam, nomen *Cephae*, quod in pluribus Novi Testamenti locis Simoni Petro datur, esse Syrochaldaicum ܟܐܦܐ *(Kepha)* seu ܟܐܦܐ *(Kifo)* significans *Petram*, idemque esse quo utitur textus Syrochaldaicus in loco supra citato Matthaei; quo nomine etiam saepe Syrochaldaica versio appellat Petrum in Novi Testamenti locis, in quibus Graecus textus habet Πέτρος.

Nota etiam, illud *Et portae Inferi non expugnabunt eam,* juxta usum loquendi linguae Syrochaldaicae posse etiam sic verti: *Ita ut portae Inferi non expugnent eam,* et sic Ecclesiae *inexpugnabilitas* a Petro ut fundamento expressis verbis penderet.

2. Locum Joannis XXI. 15. 16. 17. ita Syrochaldaica versio, Peshitta dicta, exhibet: « Cum autem coenassent, **Aa**
» dixit Jesus Simoni Cephae: Simon Barjona, diligis me » plus quam isti? Dicit illi: Utique, Domine, tu scis quod » te diligo. Dicit illi Jesus: Pasce mihi agnos meos... Pasce » mihi arietes meos... Pasce mihi oves meas. » Juxta hanc

*

igitur versionem, Christus in tres divisit classes gregem fidelium suorum, quorum primam idest *agnorum* primo credidit Petro pascendam seu regendam, secundam *arietum* secundo, tertiam denique nempe *ovium* tertio. Quo sensu has tres gregis Christi classes intelligant veteres Syrochaldaei, videbimus infra.

3. Locus Lucae XX. 31. 32. ita in recepta apud Syrochaldaeos versione sonat: « Et dixit Jesus Simoni: Simon, » ecce Satanas quaerit vos cribrare sicut triticum. Et ego » rogavi de te (*vel* pro te), ut non deficiat fides tua. Et » tu etiam quodam tempore revertere, et confirma (*vel* con» solida) fratres tuos. »

Cum hic consilium nostrum non sit tractatum theologicum de Romani Pontificis primatu ex professo instituere, sed tantum traditionem Ecclesiae Syrochaldaicae circa hanc maximi momenti veritatem demonstrare, extra thesim nostram ducimus tria hactenus recensita Evangelii loca theologice perpendere, ex iisque argumenta invictissima pro supremi Ecclesiae Capitis juribus ac praerogativis eruere. Satis sit pro nostra provincia eadem evangelica loca prae oculis proposuisse prout Syrochaldaei ea tum publice tum private legunt, ut inde pateat, communem sensum, quo Ecclesia catholica illa aurea Evangelii testimonia primatum Petri asseverantia intelligit, per lectionem Syrochaldaeorum mirum in modum confirmari. Deinceps autem videbimus, quo sensu hos tres textus evangelicos intelligat ipsa Ecclesia Syrochaldaica.

---

§. 2.

Prima series testimoniorum ex Libris Liturgicis desumpta.

Videamus primo quid libri *Chaldaeorum* liturgici circa Petri apostoli praerogativas dicant. Itaque in officio apostolorum Petri et Pauli in secundo nocturno (1) sic canit Ecclesia: « Jesus in suo Evangelio dixit Petro: Tu Ad
» es petra, super quam Ecclesia mea aedificabitur. » Et in completis ejusdem officii (2) sic gratulatur Ecclesiae Romanae: « Beata es celeberrima Roma, regalis urbs, *Sponsi* B
» *coelestis ancilla* (3), in qua sicut in arce collocati sunt » duo veraces praecones, Petrus ille qui est Apostolorum » princeps (*seu* caput), super cujus firmitatem Salvator » noster Ecclesiam suam fidelem aedificavit; » etc. In primo autem nocturno ejusdem officii (4) sic Petrum alloquitur: « Beatus es Simon, thesauri *(divini)* dispensator, qui C
» claves regni *(coelestis)* tenes, et super quem fundatum » est aedificium Ecclesiae sanctae. Tu enim es firmitatis » petra, teque ut fundamentum Dominus tuus constituit » Ecclesiis suis, ut illi qui ministerio tuo funguntur, con» struant confessionem, omni dubitatione carentem, verae » fidei. » Testatur autem in primo *kalo* secundi nocturni ejusdem officii (5) quod Christus Petrum, « quia vidit D
» amorem ejus, constituit caput gregis sui. » In septimo autem *kalo* (6) sequentibus verbis Ecclesia invitatur ad Petrum laudandum: « Sancta Ecclesia, cane laudes in E

(1) Cod. XLI. inter novos S. Congr. de Propaganda Fide Codices de quibus in *Prolegomenis;* pag. 371. Et sic in toto hujus operis decursu, ubicumque Codices absolute citantur, intelligantur hi novi S. Cong. de Prop. Fide codices.

(2) Ibidem pag. 344.

(3) Nota diligenter hunc titulum, datum Ecclesiae Romanae ab Ecclesia Chaldaica.

(4) Ibidem pag. 348.

(5) Ibidem pag. 364.

(6) Ibidem pag. 375.

» commemoratione Petri capitis Apostolorum, super cujus
» fidem firmavit *(Christus)* fundamenta tua, et quem sui
» gregis caput constituit; per quem et aperuit tibi januam
» thesaurorum suorum, et filios tuos donis suis ditavit. »
Denique sic fiduciam suam in firmitatem Ecclesiae per
Petrum profitetur Ecclesia Chaldaica in *kalo* Defuncto-
F rum ejusdem officii (1): « Iste est, ait, sanctus Simon,
» super quem constructam et firmiter fundatam Ecclesiam,
» omnes reges et tyranni non possunt debellare. »

Adhuc clarioribus vehementioribusque loquitur verbis
Ecclesia *Syriaca*. Etenim in feriali quidem Breviario, in
G officio Feriae VI. hora I. (2) canit: « Super Simonem Pe-
» trum Dominus noster Ecclesiam suam aedificavit, et su-
» per septuaginta duas columnas eam constituit » (3). Et
in secundo nocturno Feriae V. (4) inducit Christum sic
H Petrum alloquentem: « Ecclesiam sanctam super te, Si-
» mon, aedificabo, ita ut Inferi serae haud possint eam
» expugnare. » Et in hora I.ª Sabbati (5) inducitur Ecclesia
I ita loquens: « Super illam Petram familiae Simonis prin-
» cipis Apostolorum aedificata sum, et ideo non timeo,
» cecinit Ecclesia dicens. Impetierunt me fluctus et procel-
» lae, et me nequaquam commoverunt; impugnavit me
» Nestorius (6) maledictus, et ruinam invenit. »

Tot autem sunt loca, quibus eadem veritas in ceteris libris Ecclesiae Syriacae liturgicis praedicatur, ut in iis citandis animus haereat unde incipiendum sit. In officio

(1) Ibidem pag. 389.

(2) *Edit. Rom.* anni 1853. pag. 363.

(3) Mirum est, quod in Syrochaldaeorum, scilicet tum Chaldaeorum tum Syrorum libris liturgicis, constanter dicantur Discipuli Christi esse LXXII, sicut habet vulgata Latina, quamquam recepta apud Syros versio, idest Heracleensis, nec non et illa vetustissima maximamque habens auctoritatem tum apud Chaldaeos tum apud Syros, idest Peshitta, ferant cum Graeco recepto numerum LXX.

(4) Ibidem pag. 295.

(5) Ibidem pag. 409.

(6) In vetustissimis exemplaribus habetur *Arius* pro *Nestorio*.

enim sanctorum Apostolorum in secundo nocturno (1) dicitur: « Precibus capitis Discipulorum, qui claves coeli K
» accepit, et super quem aedificata est Ecclesia, benedi-
» cantur menses duodecim, » etc. Et in vesperis eiusdem officii (2): « In commemoratione sancti Simonis apostoli L
» laetantur coeli et omnia quae in eis sunt; Ecclesia quo-
» que quae in terra est omnesque filii ejus, laudes canunt
» illi qui eum elegit constituitque fundamentum in ipsa,
» ita ut non commoveatur a fluctibus et procellis haere-
» seon. » In secundo autem nocturno (3) dicitur: « Dixit M
» Simoni Dominus eius: Tu es petra firmitatis, et super te
» superponam Ecclesiam sanctam. Claves coeli et terrae
» manibus tuis trado, ut secundum meum placitum liges et
» solvas. O discipule vere, tibi datus est grex qui pretioso
» sanguine meo redemptus est; sis illi pastor verus, et
» serva eum a noxis. » Deinde in hora I.ª (4) sic Ecclesia sibi gratulatur: « Super illam Petram familiae Petri prin- N
» cipis Discipulorum aedificata sum et non timeo, cecinit
» Ecclesia dicens. Propterea serae et vectes Inferi in ae-
» ternum adversum me non praevalebunt. » Denique in eadem hora I.ª (5) dicitur: « Simon caput Apostolorum, O
» fundamentum, rector, pastor et gubernator Ecclesiae,
» cui Dominus ejus testatus est dicens: Tu es Petra, et
» super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam. Eique
» dixit Dominus: Pasce oviculas gregis mei, pasce agnos
» meos, pasce oves meas; pasce eos in pratis fidei. »

Praeclara quoque habentur apud eosdem Syros dicta de Petri dotibus in officio Feriae VI.ªᵉ *Auri,* quae est prima post Pentecostem. In vesperis enim (6) dicitur: « Ma- P
» xima beatitudo data est a Salvatore nostro Petro Aposto-
» lorum principi, quem fundamentum Ecclesiae constituit,

(1) Cod. LXIV. pag. 142.
(2) Ibidem pag. 133.
(3) Ibidem pag. 141.
(4) Ibidem pag. 150.
(5) Ibidem pag. 151.
(6) Cod. LXIV. pag. 110.

» cuique dixit: Pasce oviculas meas, oves meas, agnos gre-
» gis mei, et diligenter cura ut evadant filii Jerusalem
» coelestis. » Et in primo nocturno (1) canitur: « Simon
» Barjona, super te aedificabo Ecclesiam meam, dixit illi
» Dominus eius jubens. Tibi enim tradam claves coeli et
» terrae, ut liges et solvas, et nihil obstet. » Tum in secundo nocturno inducitur Christus Petro dicens (2): « Pasce agnellos meos, agnos meos, et oves meas; in die
» autem quo venero cum angelis meis, a manibus tuis re-
» petam gregem quem tibi tradidi. » Denique in hora I.ª canit Ecclesia (3): « In commemoratione Simonis Petri
» laetatur et exultat sancta Ecclesia, quia ipse super fidem
» firmavit eam, ut a fluctibus commoveri nequeat. » Quibus consonant ea quae habentur in officio secundae dominicae Dedicationis Ecclesiae in II.° nocturno (4), ubi dicitur: « Beata es Ecclesia, quia claves tuae manibus traditae
» sunt Simonis, *qui est* Petra et Fundamentum. »

Sed multo magis eloquentia sunt ea quibus Syrorum Ecclesia Petri primatum jurisdictionis in universos Christi fideles praedicat in festo sanctorum apostolorum Petri et Pauli. In primo enim nocturno (5) dicitur: « Simon
» Apostolorum princeps supra omnem potestatem domi-
» nium habuit, ut ligaret et solveret sine impedimento. » In secundo autem nocturno sic Petrum alloquitur Ecclesia (6): « Beatus es, quia Dei Filius elegit te, constituitque
» caput discipulorum suorum, tibique virtutem et potesta-
» tem dedit, ut divinitus solvas et liges. » Deinde: « Beatus
» es Petre, quia Filius Dei in Ecclesiae suae fundamento te
» collocavit, ut feras pondus totius domus, sicut ipse fert
» totius mundi; et per firmitatem confessionis tuae dispu-
» tationes et jurgia philosophorum evanescant. Sponsa

(1) Ibidem pag. 112.
(2) Ibidem pag. 119.
(3) Ibidem pag. 129.
(4) Cod. LXI. pag. 61.
(5) Cod. LXV. pag. 369.
(6) Ibidem pag. 373.

» *(Christi)* audivit te, et exinde tecum confitetur Eum esse
» Filium Dei. » Denique: « Beatus es, quia tu fuisti sicut **X**
» caput et sicut lingua toti corpori fratrum tuorum. Corpus
» enim ex omnibus discipulis constat. Cui *(corpori)* oculi
» facti sunt filii Zebedaei. Hi quoque beati, quia a Domino
» suo petierunt sedes cum sedem viderint Simonis, qui per
» revelationem a Patre *(acceptam)* vocatus est Petra ine-
» luctabilis. »

Non dissimilia canuntur ab eadem Ecclesia in festo S. Thomae apostoli. Nam in hora I.ª (1) dicitur: « O Si- **Y**
» mon Barjona, si me diligis, dixit Salvator noster Petro,
» pasce oves meas. Medicare per fidem ovem quae vulne-
» rata fuerit, et per pharmacum quod tibi dedi sana ae-
» grotam. » Et paulo ante dicitur (2): « Quam suavis erat **Z**
» vox Domini, cum Simoni Apostolorum capiti dixit, sa-
» cerdotium significans: Vide Simon Barjona, quod ego
» manibus tuis tradidi claves coeli et terrae, et thesaurum
» coelestem *(tibi commisi)*. » His similia habentur in feriali Breviario in hora III.ª Sabbati (3), ubi dicitur: «Quam **AA**
» suavis erat vox Domini cum Simoni Apostolorum capiti
» dixit, sacerdotium significans: Ecce ego te constituo do-
» mus *(meae)* patremfamilias, manibusque tuis trado cla-
» ves coeli et terrae, ut liges et solvas. Quod ligaveris,
» ego ligabo; et quod solveris, ego solvam; et cum pro
» peccatoribus oraveris, exaudita erit oratio tua. »

Sed quod omnium maxime demonstrat Ecclesiae Syriacae sensum circa praerogativas, quas Petrus institutione divina accepit, est magnifica comparatio quae in illius Ecclesiae libris liturgicis instituitur inter ipsum et Mosem, ut inde clare pateat, Ecclesiam Syriacam sentire, quod sicut Moses antiquae legis seu Ecclesiae fuit institutor et fundator, sic Petrus novae. Sed audiamus Ecclesiam Syriacam ipsam haec sua lingua exprimen-

(1) Cod. LXIV. pag. 183.
(2) Ibidem.
(3) *Edit. Rom.* an. 1853. pag. 423.

tem. In feriali Breviario, Feriae II.ae secundo nocturno (1)
BB haec dicuntur: « Moses erat caput veteris *(legis)*, Pe-
» trus novae. Unus alteri similis erat, et in utroque
» Deus inhabitavit. Moses quidem tabulas legis *(de monte)*
» descendens tulit, Simon autem claves regni *(coelestis)*
» accepit. Moses aedificavit Tabernaculum Foederis, Si-
» mon Ecclesiam. » Et in officio Hebdomadae Sanctae, Fe-
riae II.ae primo nocturno (2) sic orat Christum Ecclesia:
CC « Sacerdotibus, quos Simon instituit, praesta ut tibi de-
» corose ministrent, loco illorum sacerdotum, a Mose insti-
» tutorum, qui te in crucem elevaverunt et affixerunt. » In
hora autem VI.a ejusdem Feriae II.ae inducitur Deus, syna-
gogam Judaeorum repudians, et ejus loco Ecclesiam suffi-
DD ciens, sic loqui (3): « Caput ministrorum meorum Simonem
» constituam, omnesque thesauros meos manibus eius tra-
» dam. Claves tum terrae tum coeli illi dabo. Quia firmus
» est *(seu stabilis)* est coram me; ideo moenia Ecclesiae
» meae super illum plantabo. » Et in hora IX.a ejusdem
EE Feriae II.ae iterum Deus inducitur inquiens (4): « Veni
» Moses, et vade ad terram Gentium; et curam gere Vi-
» neae novae, quam Simon plantabit simul ac eum mise-
» ro. » Denique in vesperis Feriae III.ae ejusdem Hebdo-
FF madae Sanctae (5) dicitur: « Moses quidem figuram desi-
» gnavit et transiit; Simon autem *(veritatem)* ministravit
» ejusque delicias sensit. »

Sistamus hic. Nam infiniti essemus, si omnia vellemus adducere quae in libris Syrochaldaicis occurrunt dicta de B. Petri divinis praerogativis.

Quid tibi videtur, Lector, postquam haec omnia legeris? Poteratne Ecclesia Syrochaldaica vehementioribus uti verbis, ad significandam suam in B. Petri primatum divino jure illi traditum, firmissimam fidem? An

(1) *Edit. Rom.* an. 1853. pag. 127.
(2) Cod. LX. pag. 13.
(3) Ibidem pag. 67.
(4) Ibidem pag. 70.
(5) Ibidem pag. 78.

remanere potest post tot ac tam clara testimonia aliquis dubitandi locus, utrum Ecclesia Syrochaldaica non eandem acceperit ab Apostolis fidei traditionem circa divinas sui visibilis Capitis praerogativas, ac illam quam Ecclesia Romana semper professa est et profitetur; nisi velimus dicere doctrinam Ecclesiae Syrochaldaicae in hac re esse forte magis expressam et fortioribus verbis significatam? Profecto sancta Romana Ecclesia in sua sacra liturgia haud majori magnificentia et sollemnitate B. Petrum in ejus natalitio die celebrat, quam quod vidimus Ecclesiam Chaldaicam et Syriacam facere in ejusdem laudibus pangendis.

Et hic animadvertere juvat, textus a nobis hactenus citatos, etsi ad unam eandemque originem, ut alibi notavimus, referendi sint, duarum tamen nobis exhibere Ecclesiarum testimonia, ab invicem distinctarum; quod maiorem argumento nostro praebet vim, cum sine dubio duorum testimonium convincentius est quam unius. Etenim Chaldaica Ecclesia, quae partem formabat maximae familiae Aramaicae, inde ab initio saeculi V.[1] e ceteris catholicis Ecclesiis propter Nestorii haeresim se separans, independentem ac autonomam omnino constituit sibi hierarchiam, et sic per plura saecula in maxima Orientis parte vixit, imo citissime usque ad remotissimas Indiarum et Sinarum regiones propagata, prospera ac floridissima apparuit. Ita vero sibi sufficientem se semper existimabat, ut furore haeretico rapta non tantum ceterarum per orbem Ecclesiarum communionem vitaret, verum etiam easdem abhorreret, altaque voce ut haereticas condemnaret. Exinde evidentissime patet, hanc Ecclesiam traditiones quas habet tenaciterque servat, nullo modo ab aliis Ecclesiis accipere potuisse, sed eas a majoribus suis antiquitus habuisse. Quod si hoc quoad omnia fidei ac disciplinae capita verum est, multo verius esse debet quoad doctrinam de qua agimus, cum ea statui schismatis in quo ista Ecclesia versabatur, omnino contraria erat. Adeo vero ipsis Chaldaeis seu Nestorianis vel ab anti-

quis temporibus compertum erat, se traditiones sacras quas tenebant religioseque servabant, a nulla aliena Ecclesia seu secta post suam separationem mutuatos esse, ut de hoc persaepe gloriari non dubitaverint, quamvis aliqua in parte immerito. Audiamus scriptorem historicum hujus sectae, Amrum Matthaei, de suis dicentem (1):
GG « Gratias agimus Deo, beneficio quo nobis providit con-
» gruas, propterea quod dignatus sit nobis concedere, ut
» veram fidem in Dominum nostrum Jesum Christum ac-
» ciperemus a sanctis Apostolis, ab iisque sine medio ali-
» cujus imperatoris aut magistratus teneremus; ut dein-
» ceps nulla macula vitiaretur fidei traditio quam accepi-
» mus, neque ulla mutatione corrumperetur; ut denique in
» nostra fide profitenda nullum principem saecularem ob
» metum vel terrorem sequeremur, vel ejus placito obtem-
» peraremus; sed fideliter teneremus atque servaremus in-
» tactam fidem nobis traditam, sancto Evangelio divinis-
» que eloquiis conformem.» Hunc auctorem, ita Ecclesiam suam haereticam defendentem, audiamus, non tono panegyricum texentis, sed historiam scribentis, loquentem de Petri dotibus. Is enim, volens historiam Apostolorum obumbrare, postquam eorum institutionem ge-
HH neralibus verbis descripsisset, subdit (2): « Caput autem
» eorum erat Simon Petrus, sedem *(seu vices)* Christi ge-
» rens super terram. »

Quod hactenus de Nestorianis diximus, idem fere dicendum de Syris, qui serius ab Ecclesia catholica se separantes, secum omnia asportarunt quae in ipsius sinu per quinque secula ex divinae revelationis thesauro possederant, inter quae adnumerari debet traditio de Petri primatu, antiquitus recepta et universaliter divulgata non tantum apud ceteros Syriacae stirpis populos, sed et apud omnes Orientis gentes.

(1) Cod. XLV. pag. 61.
(2) Cod. XLV. pag. 63.

SUMMA PRAECEDENTIUM.

Ex omnibus quae hucusque exposuimus, liceat sequentes statuere summarias veritates, ab Ecclesia Syrochaldaica in B. Petro clarissimis verbis agnitas.

1. *Petrum esse Apostolorum Caput seu Principem, auctoritate in illos pollentem* (**B**, **F**, **I**, etc.). Haec locutio ܪܫܐ ܕܫܠܝ̈ܚܐ seu ܪܫܐ ܕܫܠܝ̈ܚܐ frequentissime in libris Syrochaldaicis de Petro occurrit; imo fere quotiescumque hic Apostolus nominatur, nonnisi per illum titulum designari solet, ita ut saepe titulus solus sine nomine ad eum significandum adhibeatur. Jamvero haec vox ܪܫܐ quae in lingua Syrochaldaica proprie *animalis CAPUT* designat, metaphorico sensu de rebus adhibita significat *principium, originem, fontem, summitatem, exordium*, orationis *capitulum*, disquisitionis *caput* seu *materiam;* de hominibus vero dicta non potest aliud significare nisi *principem, praesidem, praefectum, antesignanum*, etc. Quemcumque ex his significationibus velimus Petro quoad Apostolos applicare, semper inde sequitur eum auctoritate in illos pollere debuisse. Nam in lingua Syrochaldaica vox ܪܫܐ de *hominibus* dicta numquam non potestatem indicat. Sic dicitur Christus ܪܝܫ ܟܘܡܪ̈ܐ *caput pontificum*, Gabriel archangelus ܪܝܫ ܡܠܐܟ̈ܐ *caput Angelorum*, dux exercitus ܪܝܫ ܫܘܠܛܢ̈ܐ *caput potestatum*, pontifex ܪܝܫ ܟܗܢ̈ܐ *caput sacerdotum*, gubernator navis ܪܝܫ ܡܠܚ̈ܐ *caput nautarum*, archimandrita ܪܝܫ ܕܝܪܐ *caput monasterii*, etc. in quibus omnibus potestas plus minusve significatur.

Equidem non inficior, non deesse casus, in quibus vox ܪܫܐ apud Syrochaldaeos de hominibus usurpata, nullam significat potestatem, sed simplicem temporis antecessionem. Sic S. Jacobus Hierosolymae primus episcopus dicitur a Syris ܪܫܐ ܕܐܦܝܣܩܘܦ̈ܐ *caput episcoporum* idest *primus episcopus;* S. Stephanus protomartyr dicitur ܪܫܐ ܕܣܗܕ̈ܐ *caput martyrum*. At animadvertendum 1° quidem in his casibus usurpari etiam vocem ܩܕܡܝܐ *primus* pro

ܪܫܐ *caput*. Sic passim (ex. gr. in I.ª parte diptychae mortuorum in missae celebratione apud Syros a diacono recitanda, et in lectionariis) dicitur S. Stephanus ܩܕܡܝܐ ܕܣܗܕܐ *primus martyrum*, S. Iacobus ܩܕܡܝܐ ܕܐܦܝܣܩܘܦܐ *primus episcoporum*. 2° De Petro apostolo nequaquam dici potest, eum ideo *caput Apostolorum* nuncupatum fuisse, quia primus erat eorum ratione temporis. Nam primus Apostolorum ratione temporis erat *Andreas*, non *Petrus* (1). 3.° Denique hanc denominationem *Capitis Apostolorum* componere oportet cum ceteris locutionibus quae de Petro adhibentur, quaeque nullibi notionem antecessionis temporis praeseferunt. Igitur Petrus ideo dictus est a Syro-chaldaeis *caput Apostolorum*, ad significandam potestatem quam is habebat in illos.

2° *Petrum personaliter constitutum esse Ecclesiae fundamentum et sustentaculum;* seu *Christum super Petri personam fundasse et stabiliisse Ecclesiam* (**A**, **C**, **F**, **G**, **H**, **K**, **L**, **M**, **P**, **Q**, **V**, etc.). Si nonnulla quidem ex his locis possunt de fide Petri intelligi, sunt alia quae nonnisi de ejus persona sumi nequeunt. Sic ex. gr. si locus **G** intelligeretur de fide Petri, quo tunc sensu dicenda erit Ecclesia *constituta super septuaginta?* Sic etiam locus **V** nequit intelligi nisi de persona Petri, totius familiae Christi curam gerentis, sicut ipse Christus totius mundi curam gerit.

3° *Christum reapse et vere per Petrum aedificasse Ecclesiam,* idest *per Petrum eam legibus, sacramentis, charismatibus, sacerdotio, etc. formasse* (**S**), sicut Pater per Moysen veterem synagogam formaverat (**BB**, **CC**, **EE**). Aliis verbis: *Petrum esse in Ecclesia omnis auctoritatis fontem, eadem ratione qua Moses erat in Synagoga.* Hic liceat nobis, ut auctoritatis, qua Moses ejusque successores maximi antiqui foederis pontifices pollebant, rationem aliquo modo intelligamus, eamque inde novae legis Ecclesiae applicare possimus, liceat inquam ad memoriam revocare id quod S. Joannes Apostolus in *cap. XI. v. 51.*

(1) Vid. Joan. I. 40.

sui evangelii de Caipha ultimo Judaeorum summo pontifice refert, hunc scilicet super cathedram Moysi sedentem, quia illo anno summi sacerdotis dignitate fungebatur, etiam cum iniquam proferre volebat sententiam, veritatem pronunciasse, utique divina inductum inspiratione. Si ergo antiqui foederis pontificem maximum etiam nolentem imo pessimo motum animo, ratione ejus muneris divina impediebat assistentia ne erroneam proferret sententiam, quanto magis novi foederis, cujus illud antiquum nonnisi umbra erat, summus pontifex in rebus quae commune bonum respiciunt per auxilium divinum, infallibilis reddi debet! In utroque enim, teste Ecclesia Syrochaldaica (**BB**), Deus inhabitat, unusque alteri similis. Si ergo secundum Christi praeceptum (1), Judaei ita Scribis et Pharisaeis subjecti esse debebant, ut *omnia quaecumque dixerint ipsis, servare et facere tenerentur,* utpote qui *super cathedram Moysi sedebant;* quanto magis Christiani Petro sacerdotibusque qui super ejus cathedram sedent!

4° *Petrum accepisse a Domino claves coeli et terrae,* idest *plenam potestatem solvendi et ligandi; hancque potestatem quae respicit tum animarum curam* (**E**, **R**), *tum auctoritatem regendi et gubernandi Christi fideles* (**C**, **M**, **O**, **Q**, **T**, **U**, **BB**) *per Petrum in Ecclesiam derivatam fuisse* (**E**, **M**, **Sa**, **Z**, **AA**, **DD**, etc.).

5° *Petrum a Christo constitutum fuisse omnium fidelium idest totius Ecclesiae pastorem, rectorem, gubernatorem, oeconomum* (**E**, **M**, **O**, **P**, **R**, **Y**).

6° *Petrum esse Sacerdotii originem, per eumque illud in Ecclesiam derivatum fuisse* (**E**, **Z**, **AA**, **CC**, **DD**).

7° *Petrum sedem Christi in terra occupasse, idest ejus vices gessisse diverso modo ac ceteros Apostolos* (**X**, **HH**). In priori horum exemplorum aperta et clara mentio fit specialis Sedis Petri, quam ceteri Apostoli non habebant, ita ut duo ex iis propter hanc causam illi inviderint. In altero exemplo distincte dicitur Petrus ideo Aposto-

(1) Matth. XXIII. 2. 3.

lorum caput fuisse, quia Christi sedem occupabat. Potestne quis clarius loqui?

8° *Ecclesiam robur et firmitatem atque stabilitatem habere a Petri fide, et per hanc Petri fidem ipsam talem derivare virtutem, ut omnes adversariorum conatus frustraneos reddat eosque confundat* (**B**, **C**, **E**, **F**, **H**, **I**, **L**, **N**, **S**, **V**). Satagamus hic mentem Ecclesiae Syrochaldaicae ita loquentis dilucidare. Itaque observemus, in hujus Ecclesiae libris liturgicis aliisque, *fidem* saepe titulo *petrae* ܟܐܦܐ vel *saxi* ܫܘܥܐ ornari. Sic in officio I.^{ae} dominicae Dedicationis Ecclesiae apud Syros, III.° nocturno (1) dicit
II Ecclesia: « Super petram fidei posita sum et non timeo. » Item in officio II.^{ae} dominicae Dedicationis Ecclesiae, in
KK II.° nocturno (2) dicitur: « Beata es, Ecclesia fidelis, con- » sors Sponsi coelestis, quia super petram fidei posita sunt » et firmata moenia tua. » Et apud Chaldaeos in officio » II.^{ae} dominicae Dedicationis Ecclesiae, in matutino (3)
LL dicitur: « Super petram fidei aedificasti, Salvator noster, » Ecclesiam tuam, ita ut procellae nequeant eam commo- » vere.» Per id autem Ecclesia Syrochaldaica intelligere vult, quod, quemadmodum sublata vel amota petra fundamentali super quam domus erecta sit, ipsa domus corruit ac in ruinam cedit, ita sublata fide, quae est Ecclesiae gloria, virtus, fundamentum, vel quantumcumque ab eius vera norma recedente, Ecclesia ipsa iacturam patitur. Hinc videmus *petram* ܟܐܦܐ vel ܫܘܥܐ nonnumquam adhiberi a patribus Syrochaldaeis tamquam *fidei* synonymum, quamquam per ܟܐܦܐ communiter intelligatur Simon Petrus. Sic apud Chaldaeos in officio apostolorum
LLa Petri et Pauli, in secundo nocturno dicitur (4): « Super » Petram Apostolorum fundavit Dominus Ecclesiam suam, » et Sacerdotes in ea ministrarunt sacerdotio Petri.» At vero hanc petram *(fidem)* quae Ecclesiae dat firmitatem

(1) Cod. LVI. pag. 30.
(2) Ibid. pag. 67.
(3) Cod. XL.
(4) Cod. XLI. pag. 364.

atque stabilitatem, videmus in Syrochaldaicae Ecclesiae locutione dici ipsius Petri dotem esse (**C**, **I**, **N**, **O**, **V**, **DD**). Hinc saepe videmus in monumentis Syrochaldaicis dici, veram Ecclesiae fidem seu sanam doctrinam seu denique orthodoxa dogmata, Petri esse fidem, doctrinam, dogmata. Praeter ea quae supra attulimus, juvat et alia ad maiorem claritatem proferre. Itaque in Breviario feriali Syrorum, tertio nocturno Feriae V.ae (1), sic orat Ecclesia: « *(Laudemus)* episcopos, qui fidem praedicarunt, et **MM**
» *verbis Simonis eam docuerunt* sine controversia! » In Breviario autem Chaldaeorum, dicto ܓܙܐ *Gaza,* in officio Doctorum Graecorum (2) dicitur: « Tres architecti, qui **NN**
» aedificarunt super *fundamentum Simonis Petri,* oeconomi » quibus commissus est thesaurus spiritualis, » etc. (3). Et paulo post (4): « Super *fundamentum veritatis* (seu **OO**
» *firmitatis*) *Simonis Petri* aedificaverunt veri *(Doctores).* » Juxta mentem igitur Ecclesiae Syrochaldaicae, Ecclesia catholica, omnes eius episcopi, praecones, doctores orthodoxam fidem Petri docere debent, et proinde illam ab eo doceri ipsos oportet. Ex quo sequentem conclusionem sine difficultate deducimus.

9° *Petrum esse universae Ecclesiae supremum atque irrefragabilem doctorem* (**C**, **V**, **Y**). Hoc sensu etiam canit Ecclesia Syriaca in officio Feriae VI.ae dictae *Auri,* secundo nocturno (5): « Dixit Dominus Simoni Aposto- **PP**
» lorum capiti: Manibus tuis trado Ecclesiam meam: pasce » mihi meas oviculas, agnos meos, et oves meas, et *doce » eos regulas ministerii,* cum sacerdotium sit superius re-

(1) *Edit. Rom.* pag. 299.

(2) Cod. XLI. pag. 437.

(3) In codice, ex quo hic locus aliique loci citati sunt, antiquis nominibus nestorianis substituta sunt nomina doctorum catholicorum a recentioribus Catholicis; at verba ipsa versuum et canticorum totius officii intacta conservata sunt. Qui hoc per se ipsum probare desiderat, adeat Museum Borgianum Collegii Urbani de Propaganda Fide, ubi prostat aliud antiquum exemplar Breviarii de quo sermo est.

(4) Ibidem pag. 438.

(5) Cod. LXIV. pag. 119.

» gum atque judicum potestatibus. » Vide etiam testimonium sub littera **O** adductum, ex quo liquet Christum Dominum Petro commisisse munus greges Ecclesiae suae *in pratis fidei pascendi.*

Ex omnibus his, quae hucusque disputavimus, statuere liceat, traditionem Ecclesiae Syrochaldaicae circa sensum quo intelligenda sunt duo celeberrima loca, scilicet *Matth. XVI. 18. 19,* et *Joann. XXI. 15-17,* eandem fuisse, ac traditionem Ecclesiae Romanae, nempe per ea Christum Dominum primatum jurisdictionis et magisterii in universam Ecclesiam Petro concessisse. Quid autem dicendum sit de tertio Evangelii palmari loco, Petrum respiciente, nempe *Luc. XXII. 31. 32.,* sequentia ostendent.

DIFFICULTATUM SOLUTIO

Cum nonnisi sincerus veritatis amor in tota hac tractatione nos ducat, dissimulare nolumus varias difficultates, quae contra testimonia a nobis hactenus ex libris liturgicis allata objici possunt, ad destruendam omnino vel saltem minuendam eorundem vim. Has difficultates nos hic satagemus exponere, easque breviter diluere.

I. Objici potest: *Omnia testimonia quae superius citata sunt ad demonstrandum Ecclesiae Syrochaldaicae sensum circa Petri primatum, ex libris desumpta sunt liturgicis, in quibus, cum laudes B. Petri celebrentur, non mirum est si per modum panegyrici plus aequo ejus virtutes, ut mos est Orientalium, extollantur. Proindeque ea non sunt ad litteram accipienda.*

R. Non negamus, nonnulla ex locis superius citatis aliquantulum styli poetici sentire. At licetne inde concludere ea falsitati niti? Cur enim, cum eodem loco Pauli laudes cum Petri celebrantur, nihil eorum quae de Petro tam saepe tamque alte praedicantur, Paulo ne semel quidem tribuitur? Cur nihil hujusmodi de singulis

ceteris Apostolis in eorum officiis dicitur? Deinde ex eo quod Christi laudes in libris Syrochaldaicis sublimiori stylo poetico videmus celebrari, licetne inde concludere istam Ecclesiam hujusmodi dotes in Christo serio non agnovisse? Idem dicendum de laudibus B. V. Mariae, tam frequentibus in hujus Ecclesiae libris. Denique falsitas, quibuscumque floribus ac ornamentis obtegatur, numquam veritatis speciem induere potest, sed magis ac magis turpis redditur.

Ceterum, ne putemus Ecclesiam Syrochaldaicam in suis libris tantummodo liturgicis in Petro primatum jurisdictionis ac magisterii agnoscere. Habemus enim libros canonicos, historicos, theologicos, omni poesi et sermonis ornatu carentes, in quibus veritas illa non minus aperte praedicatur, ut videbimus paragrapho sequenti.

II. Objici potest: *Omnibus fere titulis in libris Syrochaldaicis Petro datis, videmus etiam universos Apostolos in iisdem libris laudatos.*

R. Non inficiamur, multos ex propriis B. Betri titulis, in nostris ecclesiasticis libris tribui etiam Apostolis. Saepe enim legimus *Ecclesiam super Apostolorum fundamentum aedificatam esse, Apostolos claves solvendi et ligandi a Christo accepisse, eorum fidem esse Ecclesiae gloriam, fortitudinem, sustentaculum,* etc. Sed haec minime proprias Petri praerogativas minuunt, immo eas confirmant. Nam 1.° quidem similia effata non pronunciantur de Apostolis seorsim sumptis, et a Petro separatis, sed de eorum coetu collectivo, computato cum iis Petro, immo principatum inter eos tenente. Unde ad concilianda haec effata cum iis quae de Petro singulariter dicuntur, oportet ut dicamus ea ideo de Apostolis dici, quia Petrus consideratur cum iis, qui auctoritatis et sacerdotii constitutus a Christo fons et origo (**E**, **CC**, **DD**), ex sua plenitudine suis fratribus communicabat (**V**, **X**, **QQ**) eosque regebat et gubernabat (**D**, **E**, etc.).

2.° Inde tamen nolumus concludere, Apostolos non ac-

*

cepisse immediate a Christo potestatem ligandi ac solvendi, praedicandi, etc. Sed juxta ea quae hactenus demonstravimus, Apostoli diverso modo ac Petrus hanc potestatem acceperunt. Nam primo quidem Petrus plenam potestatem accepit, singuli autem Apostoli partialem. Deinde Petrus in exercitio suae potestatis nemini subordinatus erat, Apostoli autem Petro erant subordinati. Haec omnia liquent ex omnibus testimoniis quae supra adduximus.

3.° Advertamus, quod si nonnulla ex Petri attributis Apostolorum coetui in communi videmus in liturgicis libris Syrochaldaicis tribui, nullus tamen eorum praeter Petrum singulariter dicitur « Apostolorum caput », vel « Ecclesiae fundamentum » aut « aedificator », vel « Christi in terris vicarius » sensu absoluto, vel « fratrum suorum rector et gubernator ». Et revera Petrus erat in Apostolorum coetu, ut caput in corpore humano (X). Quemadmodum autem ex eo quod nonnulla capitis humani attributa soleant toti corpori, propter unius cum altero necessariam unionem, tribui, non consequitur ea attributa singulorum membrorum esse propria, sic ratio se habet cum Petro et Apostolis.

§. 3.

Altera testimoniorum series ex Libris Canonicis et Theologicis desumpta.

Si eloquentissima est Ecclesia Syrochaldaica in suis libris liturgicis cum divinas B. Petri dotes praedicat, non minus conspicue eandem veritatem profitetur in ceteris suis documentis ecclesiasticis.

Ante omnia circa auctores quorum testimonia mox allaturi sumus, animadvertere liceat, eos fere omnes schismaticos esse, temporique quo Syrochaldaei ab Ecclesia catholica scissi sunt posteriores; non quod qui inter Eccle-

siae Patres ante saeculum V.^{m} syrochaldaice scripserunt, primatum S. Petri compertum non habuerint vel de eo nihil scripserint, sed quod eorum testimonia satis a nobis exhibita sint in citationibus superiori paragrapho allatis ex libris liturgicis, qui potissimum ex eorum scriptis concinnati sunt, scilicet Ss. Ephraemi, Simeonis Barsabbage, Jacobi Sarugensis, Isaaci Antiocheni, Rabulae Edesseni, Balaei, Cyrilli Hierosolymitani, Maruthae Maiparactensis, etc. Jamvero quod testimonia quae allaturi sumus, sint ex scriptoribus schismaticis desumpta, quin eorum validitati noceat, majorem potius illis praebet vim. Testimonio enim alicuius in re quae eius causae non solum non favet sed etiam nocet, ut est doctrina de primatu Petri quoad homines schismaticos, refragari nemo potest. Nimirum catholica doctrina de supremo Ecclesiae Capite, quam Apostoli Syrochaldaeis populis tradiderant non secus ac ceteris nationibus, in manus Schismaticorum pertransiit simul cum deposito omnium fere dogmatum catholicorum; ibique hae omnes veritates per secula remanserant, suamque vitalitatem modo statui illorum populorum congruo evolverant, quin contaminarentur vel notabilem paterentur mutationem. Nam etsi Schismatici orientales a centro unitatis propter suam superbiam et contumaciam se divulserint, speciali tamen factum est dispositione divina, ut quas a majoribus suis hereditate habuerant religiosas traditiones, per decursum multorum seculorum intactas servaverint, et sic in sinu semper suo custodierint quod invincibile contra ipsorum defectionem esset argumentum et fortissima in manibus Ecclesiae catholicae contra eos offerret arma.

His positis, veniamus nunc ad exponenda Chaldaeorum primum, deinde Syrorum scriptorum sententias circa B. Petri primatum. Primum testimonium nobis suppeditet ingentissimum Ecclesiae Chaldaicae *Corpus Juris Canonici* aeque ac vetustissimum et maxima pollens apud suos auctoritate. Itaque in hoc Nomocanone refertur, in synodo Chaldaicae nationis, a Dadishoo patriarcha anno 430

QQ coacta, haec verba fuisse prolata (1): « Unus est ejus » (*id est* Christi) vicarius fidelis, Simon Barjona, qui nun» cupatus est Petra (*seu* Petrus), cuique ipse promissum » dedit dicens: *Super hanc Petram aedificabo Ecclesiam » meam,* item *Tibi dabo claves regni coelorum.* Porro non » omnibus Apostolis a Christo dictum est: *Super vobis ae» dificabo,* et *Vobis dabo.* Quamvis enim munus sacerdotii » omnibus Discipulis datum sit, tamen primatus singula» ris, qui est spiritualis paternitas, non omnibus, sed uni » sicut unius veri Dei fideli vicario, ut sit ipse fratrum » suorum antistes, rector, et gubernator. » Potestne catholicus quis in ipso seculo XIX.° quo revelationis lumen omni suo fulgore splendet, primatum jurisdictionis et magisterii quod Christus in Ecclesia instituit, clarioribus profiteri verbis? En enim clare dictum et quidem synodaliter, solum Petrum a Christo Domino constitutum fuisse suum vicarium inter omnes ejus fratres, atque prae ceteris Apostolis praerogativis propriis ad illos auctoritate praecedendos, regendos, atque gubernandos auctum esse; en propriis et apertis verbis ratio primatus, a Christo Petro collati, asserta et affirmata. Hac freti veritate, illius synodi Patres, qui quamquam a primatus ecclesiastici vero *subjecto* propter schisma in quod jam jam ruere incipiebant voluntaria cordis caecitate aberraverint, fundamentale tamen ejusdem *objectum* quod per majorum suorum apostolicam traditionem didicerant, optime agnoscebant, non dubitarunt pro sectae suae schismatico capite, patriarcha Seleuciensi qui tunc vocabatur Dadishous,
RR synodaliter acclamare (2): « Tradamus nosmetipsos omni » mortis generi pro patre et antistite nostro, qui est noster » rector et gubernator, atque omnium divini thesauri divi» tiarum dispensator, Domino Dadishoo Catholico (*seu* pri» mate), qui nobis est alter PETRUS CAPUT *reipublicae » nostrae ecclesiasticae.* » Nimirum haeretici homines ex traditione didicerant, in Christi Ecclesia supremam aucto-

(1) Cod. XXVII. pag. 277.
(2) Cod. XXVII. pag. 279.

ritatem esse debere ab eodem B. Petri personae collatam, ut eam legitimis successoribus transmitteret; at cum ii e sinu verae Ecclesiae expulsi essent, hanc supremam auctoritatem suae sectae capiti tribui posse haeretica insania putabant. Interim quid clarius dici potest ad affirmandum jurisdictionis et magisterii primatum a Christo per Petrum in Ecclesia institutum?

Quibus concordant quae Georgius Nestorianorum patriarcha in epistola ad Mennam chorepiscopum (1) scripsit: « Jesus ut rex aeternae gloriae et dominus coeli et ter- **RRa** » rae, claves sui regni Simoni tradit suorum discipulorum » capiti, quem Petrum appellat, cuique potestatem dat » ligandi ac solvendi in terra et in coelo. »

Recolamus etiam verba historici Amri Matthaei (2) supra (**HH**) relata, cum de Apostolis in genere loquens, haec dixit de eorum Antistite: « Caput autem eorum erat » Simon Petrus, SEDEM (*seu* VICES) CHRISTI TENENS » super terram. » Atque haec ex Chaldaeis nunc sufficiant, ad demonstrandum quae fuerit eorum sententia circa dotes quibus Petrus a Christo donatus fuit. Alia videbimus testimonia idem demonstrantia, ubi agemus de Romanorum Pontificum primatu.

Quod attinet ad Syros scriptores, ii non minus praeclara nobis praebent testimonia. Audiamus Mosem Barcepham, celebrem Jacobitarum doctorem seculi IX, qui in suo opere *de Sacerdotio tract. 2. cap. 7.* agens de divina sapientia quae infirmos ad sacerdotium vocat, ait (3): « Ipse etiam Christus non tradidit illud (*idest* summum **SS**

(1) Cod. XXVII. pag. 541.

(2) Auctor iste non solum inter historicos scriptores numerari debet, sed etiam inter theologos, cum opus ejus ex quo desumptum est testimonium in textu citatum praeter historiam contineat etiam theologicas disputationes.

(3) Pretiosum exemplar hujus operis cum aliis habemus prae manibus in *codice* vetustissimo pertinenti ad monasterium dictum Sharfianum Montis Libani, ubi nunc existit Syrorum seminarium clericale. Hic codex anno 1224 exaratus est. Locus hic in textu citatus exstat in codice pag. 103. *verso*.

» Sacerdotium) Joanni virgini, quamvis esset etiam zelo » plenus, sed Simoni qui conjugatus erat et Christum ne- » gando infirmitatem expertus est. » Item *cap. 16* (1) ait:
TT « Addidit Dominus et dixit Petro, et per eum Ecclesiae, » verbum, cujus sensus est prodigiosus: Quidquid ligave- » ris in terra, erit ligatum in coelis, » etc. Deinde *tract. 5. cap. 1.* agens de benignitate qua sacerdos debet peccatores
UU excipere, ait (2): « (Petrus Christum) negavit, et jureju- » rando suam negationem confirmavit, neque tamen ideo a » dignitate apostolatus nec a suorum fratrum praeeminen- » tia rejectus est, sed e contrario audivit Salvatorem illi » dicentem: Pasce agnos meos et oves meas. Quod et facto » etiam illi demonstravit (Christus), cum ei dixit: Simon, » ecce Satanas quaerit vos cribrare sicut triticum, et ego » rogavi pro te ut non deficiat fides tua. Et tu aliquando » reversus, confirma fratres tuos. Id est, quemadmodum » tibi indulgentia data fuit cum peccasti, tu etiam indul- » gentia utere erga fratres tuos qui delinquunt et pec- » cant. » Ubi nota etiam, quomodo illud Luc. XX. 31-32. » intelligant Syri (3).

XX Idem auctor *tract. 4. cap. 6.* (4) ait: « Discipuli » omnes apostoli erant, omnes a Redemptore nostro acce- » perunt manuum impositionem, omnes episcopi facti sunt. » Sed *regiminis causa Simon constitutus est caput.* » De-

(1) Ibidem pag. 112 *recto.*

(2) Ibidem pag. 137 *recto.*

(3) Non pigeat hic audire quomodo hunc Lucae locum S. Cyrillus Alexandrinus in suis homiliis, quae syriace exstant, interpretur.
VV Sic enim in homilia 144 (pag. 412 et seq. edit. *Payne Smith*) ait: «Ceteros quidem Discipulos reliquit. Venit autem ad illum qui erat *primus* et *caput coetus,* et dicit: Persaepe quaesivit Satanas vos cribrare sicut triticum... Ego autem oravi pro te, ut non deficiat fides tua... Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos; idest: Esto *sustentator, initiator,* et *doctor eorum qui per fidem ad me accedent...* Conversus enim, ait, confirma fratres tuos. Quod erat et dantis veniam et erigentis eum ad apostolicas facultates. » Haec commentariis non indigent.

(4) Cod. *Sharfian.* pag. 124 *recto.*

inde idem Moses Barcepha in *Explicatione caeremoniarum Ordinationis* (1) explicans illud Joann. XXI. 15-17. ubi in Syrochaldaica versione dicta *Peshitta* pro Graeci ἀρνία et προβάτια repetito habetur primo ܐܡܪ̈ܐ idest *agni*, secundo ܕܟܪ̈ܐ hoc est *arietes*, tertio ܢܩܘ̈ܬܐ scilicet *oves*, ait: « Per *agnos* quidem intelligit pastores et praesides Ec- YY
» clesiae, super quos ipse *Simon constitutus est* a Domino » suo *caput et rector*.... Item per *agnos* intelligit sanctos » Apostolos duodecim, nec non et septuaginta duos;.... per » *arietes* autem sacerdotes, doctores, antistites, rectores;... » denique *oves* nuncupavit sanctos greges fidelium univer- » saliter sumptos. » Ubi nota etiam, quo sensu interpretatur auctor et cum eo omnes scriptores Syrochaldaei tres pascendorum classes, iuxta versionem Syrochaldaicam a Christo Petri regimini creditorum. Interim ex his duobus locis colligimus, Syros pro certo tenuisse, 1. Petrum fuisse Apostolorum per Christi institutionem caput et rectorem ; 2. ipsum regiminis causa a Christo caput Apostolorum constitutum fuisse, quamquam in sacerdotii charactere illis aequalis esset; 3. tandem ipsius curae commissos fuisse tum Apostolos, tum cleros in genere, tum denique simplices fideles.

Denique idem auctor *ibidem* (2) inquit: « Dominus ZZ
» noster soli Petro dixit: Revertere, et confirma fratres » tuos, quia tu es Petra. Quibus verbis caput collega- » rum ejus constituit eum, quamvis omnes pastores es- » sent » (3). Ex quo probare vult, supremum Ecclesiae Antistitem jurisdictionem divinitus habere etiam in omnes episcopos et pastores, ut videbimus infra.

Non abs re est etiam proferre verba quae S. Ephraem celeberrimus Ecclesiae Syrochaldaicae doctor a Jacobitis refertur dixisse in sermone quem coram S. Basilio Ma-

(1) Cod. *Sharfian.* pag. 184 *verso.*

(2) Cod. *Sharf.* pag. 185 *recto.*

(3) Codex a secunda manu propter magnam antiquitatem reformatus, perperam habet ܘܐܦ ܘܠܗ ܟܠܗܘܢ quod nullum sensum praesefert, pro ܘܐܦ ܗܘܘ ܟܠܗܘܢ.

gno habuerit de apostolorum Petri et Pauli martyrio (1). ZZa En verba: « Petrus autem meruit accipere *(a Christo)* » vicariatum super populum eius. » Vox arabica خلافة in textu adhibita, significat *imperatoriae auctoritatis traditionem per perpetuam successionem continuandae*.

Post haec quae hactenus ex scriptoribus Syrochaldaicis adduximus, duo juvat considerare.

1°. Sententiam quam Ecclesia Syrochaldaica circa Petri praerogativas in libris canonicis scriptisque privatis nobis exhibet, eandem prorsus esse ac illam quae in libris liturgicis, paragrapho praecedenti perlustratis, ab eadem Ecclesia affirmatur; aliis verbis Ecclesiam Syrochaldaicam sententiam suam, quam ab apostolica traditione circa Petri divinas dotes acceperat, tum per publicum Deo redditum cultum, tum per suas canonicas leges, tum denique per Doctores varii generis variique temporis, sine ullo discrimine expressisse. Conferenti enim ea quae supra paragrapho praecedenti ex libris liturgicis deprompsimus, cum iis quae hac paragrapho ex scriptoribus privatis citavimus, luce meridiana clarius patet, eandem illic et hic circa hoc fidei catholicae caput exponi doctrinam.

2°. Traditionem hanc apostolicam in primordiis rei christianae natam, apud Syrochaldaeos de saeculo in saeculum usque ad ultima tempora sine ulla variatione aut intermissione transmissam fuisse. Etenim in ipso saeculo XIII.° quo elapso ad exitum ac interitum declinare incipiebat jam ecclesiastica litteratura Syrochaldaica, videmus scriptores de Petro loqui eadem ratione ac illos qui primis seculis vixere. Nam ex Syris quidem Barhebraeus celeberrimus illius saeculi theologus, et omnium scriptorum Syrochaldaeorum, ut ait Assemanus, facile princeps, adderem et postremus, sic in *Chronico,* historiographum, non panegyrici scriptorem agens, de Pe-

(1) Hic sermo exstat in Cod. Vat. 199 ex Syriacis. Verba in textu adducta exstant pag. 194. *verso.*

tro apostolo loquitur (1): « Migravit pontificatus an- **ZZb**
» tiquus, et incepit firmatusque fuit novus pontificatus
» per Redemptorem nostrum, cum Petrum Apostolorum
» caput constituit, eique claves regni coelorum tradi-
» dit. » Deinde in titulo: « Post pontifices, ait, veteris Te-
» stamenti, Petrus pontifex Testamenti novi» (2). Ex Chaldaeis autem Ebedieshous Sobensis praeclarus canonista qui saeculo XIV.° ineunte floruit, sic in *Nomocan. tract.* 6. *cap. 1.* scripsit: « Summum autem principatum (Domi- **ZZc**
» nus) in Ecclesia significavit, cum claves regni coelorum
» Simoni dedit. Ipse enim Redemptor noster hunc caput
» Apostolorum constituit, eique dedit procurationem illo-
» rum communitatis cum ei dixit: Tu etiam revertere, et
» confirma fratres tuos; atque jurisdictionem in totam di-
» scipulorum (seu credentium) universitatem illi contulit
» per munus pascendi agnos, arietes, et oves. »

DIFFICULTATIS SOLUTIO.

Objici potest: *Scriptores Syrochaldaei passim asserunt Episcopos per consecrationem eandem accipere potestatem ac Petrum cum Christus ei dixit:* Tu es Petrus, et super hanc petram, etc. *Inter alios Moses Barcepha supra laudatus, in* Expositione sacramenti Ordinis, *explicans potestatem quam promoti ad singulos ordines accipiunt, ait de Episcopis* (3): « (Episcopi χειροτονία) significat id quod **AAA**
» Dominus Simoni dixit: Tu es Petra, et super hanc Pe-
» tram aedificabo Ecclesiam meam, et portae Inferi non
» praevalebunt adversus eam, idest idololatria et omnes
» haereses, quae illum in quem praevalent, ad perditionem
» infernalem conducunt (4). Indicat etiam, ipsum idest

(1) Cod. Vat. Syr. 166. pag. 247 *verso.*

(2) Confer loca **BB**, **CC**, **DD**, **EE**, **FF**. Non igitur haec librorum liturgicorum dicta sensu metaphorico accipienda sunt.

(3) Cod. *Sharfian.* pag. 162. *verso.*

(4) Nota hic, quomodo Syri interpretantur illud Matth. *Portae Inferi non praevalebunt* etc.

» *episcopum* audire a Domino illi dictum et ab ipso acce-
» ptum id quod Simoni dixit, nempe: Beatus es; quia me
» confessus es sicut et ille per ὁμολογίαν (1) quam nuper
» legisti, tibi do sicut et illi claves regni coelorum, ut
» quod solveris in terra, sit solutum in coelis, etc. »

R. Episcopus juxta auctores Syrochaldaeos in sua consecratione accipit quidem eandem ac Petrus potestatem, sed ordinis, non vero jurisdictionis. Nam auctores Syrochaldaei cum praecisum Evangelii locum investigant, quo Christus potestatem ordinis episcopalis suo sacro ore plene significaverit, ad illum Matth. XVI. 19. recurrunt; in quo tamen loco agnoscunt etiam praeclaras praedicari Petri ut Apostolorum capitis et summi principis Ecclesiae praerogativas. Unde patet, juxta hos scriptores duplicem per illa verba significari potestatem, alteram ordinis, in qua Apostoli nec non et omnes episcopi aequales sunt, alteram supremae jurisdictionis quae propria erat unius Petri, successoribus ejus transmittenda. Et sane, inquit Joannes Barwahbun patriarcha Jacobitarum in *Sacramentorum expositione, cap. 29. art. 15.* (2):
« Patriarcha, metropolita et episcopus in manuum impo-
» sitione, in invocatione Spiritus sancti quae super eis
» fiunt, denique in muneribus quae accipiunt, aequales
» sunt, quemadmodum Petrus et collegae ejus Apostoli ae-
» qualiter donum Spiritus sancti acceperunt et sacerdotes
» constituti sunt; attamen *regiminis causa Petrus consti-*
» *tutus est caput collegarum suorum.* »

Post ea quae hactenus disseruimus, judicet candidus Lector, utrum tot et tam insignia documenta, quae certe neque interpolationes Romanorum, neque spurius Gratiani foetus sunt, sufficienter ostendant, Ecclesiam Syrochaldaicam firmiter credidisse, Petrum apostolum fuisse supremum caput Ecclesiae, a Christo constitutum ad eam docendam, regendam, pascendam, gubernandam.

(1) Fidei professionem a consecrando emittendam.
(2) Cod. *Sharfian.* supra laudat. pag. 411 *verso.*

ARTICULUS III.

DE SENSU ECCLESIAE SYROCHALDAICAE CIRCA PERPETUITATEM PRIMATUS, QUEM CHRISTUS IN SUA ECCLESIA PER PETRUM FUNDAVIT.

Ex iis quae superiori articulo disputavimus, certo certius constat, in Ecclesia Syrochaldaica semper exstitisse firmam, patentem atque altam doctrinam traditionalem, quod Dominus noster Jesus Christus, e terra migraturus, post se et sui loco collocavit Petrum tamquam caput visibile suae Ecclesiae, ut eam doceret, dirigeret, sustineret, gubernaret. Jam vero Petrus moriturus erat; Ecclesia autem, super eum fundata, debet manere usque ad consummationem seculi (1).

Mortuo Petro, debebatne Ecclesia, quae ab eo vivente tamquam capite regebatur, sine capite remanere? Uno verbo, Christus qui primatum in Ecclesia instituit, voluitne ut hic primatus tantum duraret quantum viveret Petrus? Si Christi ad coelum profecti sedes super terram a Petro occupari debuit (**HH**), credine potest eam post Petri obitum debuisse vacuam relinqui, et usque ad consummationem seculi a nemine occupari? Si Petrus vivens per suam auctoritatem divinitus illi traditam (**U**, etc.) atque per suam fidem (**I**, **N**, etc.) sustinere debebat Ecclesiam, ergone eo mortuo visibili sustentamento caritura erat Ecclesia? Si Petrus regiminis causa (**XX**, **CCC**) electus et constitutus est caput fratrum suorum, numquid eo mortuo sine regimine remansura erat Ecclesia ab ipso fundata?

Si Christus super Apostolos suos, duodecim tantum numero, quibus speciali modo et singillatim Spiritus sancti gratiam contulit, quibus totum orbem terrarum in

(1) Matth. *ult*.

dominium dedit, quos tribuum Israel constituit judices, hoc tamen non obstante voluit unum constituere principem, praepositum, directorem ([illegible]), linguam ([illegible]), suum vicarium ; potestne credi Christum Dominum episcopos Apostolorum successores, quorum singuli minimam portionem tantum orbis terrarum occupaturi erant, ita ut juxta divina promissa ventura sit dies quo Ecclesia per totum terrarum orbem diffusa, episcoporum immensus esset numerus, tot inquam numero episcopos sine capite, sine directore, sine suprema auctoritate relinquere voluisse? Si Apostoli in regimine singularum regionum successores habere debuerunt, solusne Petrus in regimine totius Ecclesiae nullum successorem post se relinquere debuit? Tandem, si Apostolis a Christo ipso electis, edoctis, educatis, in mundum universum missis, extraordinaria virtute prodigiorum et supernaturalium charismatum auctis, nulla injuria illata est cum unus super eos praepositus constitutus est, eritne injuria Episcopis, ipsorum in ordine et partiali jurisdictione successoribus, si habeant unum principem, supremum pastorem, directorem? Nimirum Christus, cum Petrum summum Ecclesiae pastorem et magistrum constituit, consuluitne ipsi Petro, an Ecclesiae? utrum Petrum ad eum simpliciter honorandum sic exaltavit, an ad providendum Ecclesiae bono ipsam eius subjecit regimini?

Maximi momenti quaestio, ponderatissimae responsionis digna. Ad hanc responsionem habendam consulamus Ecclesiam orientalem, consulamus Ecclesiam Syrochaldaicam omnium Ecclesiarum orientalium orientalissimam, et alta voce nobis respondebit: Minime, minime. Haec enim vetustissima Ecclesia tum dictis, tum factis significat nobis sensum suum circa perpetuitatem primatus jurisdictionis et magisterii a Christo pro fidelium suorum spirituali bono instituti. Audiamus primo dicta, ut videamus deinde facta.

§. I.

Argumenta ex Syrochaldaeorum dictis desumpta ad demonstrandam Primatus Petri perpetuitatem.

Contendimus Ecclesiam Syrochaldaicam vel ab antiquis temporibus pro re certissima habuisse, primatum Petri non debuisse per ejus mortem extingui, sed duraturum esse semper in Ecclesia. Id autem evidenter demonstrant Syrorum et Chaldaeorum varia dicta, quibus asserunt Ecclesiam sine summo capite subsistere non posse. Audiamus igitur nonnulla ex his dictis.

Sed antequam ea afferamus, praemonendum ducimus, auctores horum dictorum, de necessitate unius in Ecclesia summi capitis loquentes, hanc veritatem, utpote schismaticos et a communione Ecclesiae Romanae alienos, suae Ecclesiae applicare ejusque patriarchae, quem summa injuria S. Petri auctoritate pollere supponunt, non quidem primario et nativo jure, sed per modum surrogationis, ut videbimus infra. Hoc autem nil causae nostrae officit, cum nos hic non quaerimus de subiecto in quo residere debeat primatus, sed de ipso primatus obiecto; nam, ut alibi notavimus, Schismatici orientales cum de summa auctoritate in Ecclesia existente theoretice loquuntur, catholicam traditionem fideliter repraesentant; cum autem subiectum hujus auctoritatis designare volunt, modo veritatem catholicam proferunt, ut videbimus infra, modo schismatica sua conditione obcaecati, aberrant, et, ut est mos illorum qui extra Ecclesiae catholicae unitatem versantur, sibi contradicunt.

Post haec procedamus ad expendenda haec testimonia, quae Syrorum et Chaldaeorum sensum circa perpetuitatem primatus Petri in Ecclesia probant. Quoad Chaldaeos, in eorum synodo sub Dadishoo patriarcha anno

CCC Chr. 430 celebrata, dictum est (1): « Hoc Deus creator in natura humana constituit, ut filiis non liceat » patres suos exheredare, sed e contra patres auctoritate » in filios polleant... In sancta autem Ecclesia omnis per» fectio magis regnare debet. Etenim quemadmodum unus » est verus Pater, unus Filius eius Salvator noster Chri» stus, unus Spiritus eius Paracletus, sic unus est eius » vicarius fidelis, Simon Barjona, qui nuncupatus est Pe» tra (*seu* Petrus), cuique ipse promissum dedit dicens: » *Super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam,* item *Tibi* » *dabo claves regni coelorum.* » Vides hic praeclaram comparationem inter familiam domesticam ac Ecclesiam universalem, et veritatem inde deductam, nempe Ecclesiam habere unum caput, unum rectorem, unum gubernatorem, cui omnia Ecclesiae membra obedire teneantur, sicut in familia omnes patri obtemperare debent. Quod autem hujus synodi Patres non de ecclesiis particularibus loquantur, sed de universali Ecclesia, evidenter patet legenti totum contextum, ex quo primo ictu apparet eos velle affirmare, omnes cujuscumque gradus et dignitatis de jure divino teneri ad obediendum Patriarchae summo suae sectae capiti.

In altera Chaldaeorum Nestorianorum synodo, anno 567. sub Hezechiele patriarcha celebrata, canone 13 di-
DDD ctum est (2): « Hoc enim ordinatione coelesti statutum » est, ut omnia *(corporis)* membra subter capite sint, et in » illud respiciant, ipsum autem *(caput)* omnium curam » et administrationem gerat. Nam *nihil est capite altius* » *praeter Deum,* qui est tum capitis tum membrorum crea» tor. » (3).

Adhuc clarius, si possibile est clarius loqui, haec veritas pronunciata est in alia Chaldaeorum Nestoriano-

(1) Cod. XXVII. pag. 277.

(2) Ibidem pag. 370.

(3) Vides hic praeclaram inter humanum caput et summum Ecclesiae pastorem, comparationem. Nota illud: *Nihil est capite altius praeter Deum.*

rum synodo, anno 588 sub Jeshujabo patriarcha celebrata, ubi ad astruendam obedientiam, ab omnibus uni Ecclesiae summo Capiti, secundum eos autem eorum patriarchae qui erat pro iis summus sacerdos, debitam, haec dicta sunt: « Quemadmodum non licet presbyteris, archi- **EEE**
» presbyteris, vel chorepiscopis episcopi cooperatoribus
» hujus praecepta et definitiones praetergredi, cum is au-
» ctoritatem habeat in totam regionem; sic non licet me-
» tropolitis qui provincias administrant nec episcopis qui
» dioecesibus praesunt, jussum aut mandatum aut decisio-
» nem patriarchae, patrum antistitis, qui canonice sacerdo-
» tio fungitur, violare...; alioquin christiani greges forent
» tamquam oves pastore destitutae.... Sic enim Spiritui
» sancto placuit omnes ordines componere, ut sit UNUS
» OMNIBUS PRAEPOSITUS, qui et REGENTES ET RE-
» GENDOS REGAT, cuique omnes intrinsece cohaereant,
» sicut CORPORIS MEMBRA CAPITI, a quo intelligentia
» emanat et in quo residet sensibilitas, illa quidem ad di-
» rigendos animi motus et cogitationes ne vagentur, haec
» autem ad custodiendos corporis sensus et corporea mem-
» bra ne nocumentum patiantur. Simili ratione ab ecclesia-
» rum CAPITE debent per intelligentiam emanare digni-
» tates sacerdotales, ab eoque transmitti paterno *(idest
» auctoritativo)* modo dispositiones quae totam rempubli-
» cam respiciunt. »

Sane, inquit Georgius Arbelensis auctor saeculi X'. in *Officiorum distinctione, tract. 2 cap. 6* (1): « Non con- **FFF**
» venit ut religio sine summo capite subsistat. »

Ex his omnibus patet, Orientalium animis altissime inhaesisse sententiam, Ecclesiam Christi formam monarchicam debere eminenter praeseferre, ut subsistere possit. Atque haec satis sint de dictis. Videamus nunc facta.

(1) Cod. XXXI. pag. 99.

—

§. 2.

Facta ostendunt, Syrochaldaeos serio credidisse non posse Ecclesiam sine summo visibili capite existere.

Syrochaldaei facto suo confirmarunt veritatem, quam verbis satis claris, ut supra vidimus, professi sunt. Nam ante schismatum orientalium quidem tempora, tota Syrochaldaica gens patriarchae Antiocheno pacifice subjecta erat, qui ipse, ut postea ex Syrochaldaicis monumentis demonstrabimus, a pontifice Romano pendebat. Per totam illam quatuor seculorum cum dimidio periodum, in quibus illae orientales gentes ab haeresi immunes adhuc erant, nulla inter eas controversia exorta fuit, nullus eventus accidit, qui principio, de quo agimus, quoquo modo derogasset; immo illud principium tum dictis tum factis magis ac magis confirmatum fuit.

Si qua difficultas esse videtur ex parte Chaldaeorum qui Persarum regibus subditi erant, antequam ineunte seculo VII. terrificum Mahommedanorum imperium totum fere Orientem invaderet, ex eo quod illorum primas seu *catholicus* qui regalis urbis Seleuciae et Ctesiphontis metropolitanus erat, independentia quadam a patriarcha Antiocheno, cui de jure subjectus erat, gavisus esse dicitur, haec difficultas facile diluitur observando, hanc qualemcumque independentiam, si reapse illam habuerunt, fatentibus ipsis Nestorianis, nonnisi ex concessione Ecclesiae *Occidentalis* id est magni concilii Nicaeni, temporum necessitatibus ita exigentibus, pro tempore illis datam fuisse. Vide Assem. *Bibl. Orient. tom. 3. p. 1. pag. 54. et seq.* et *p. 2. pag. 370.*

Sed multo evidentius Syrochaldaei post suam scissionem ostenderunt, per facta sua necessitatem unius summae auctoritatis ad Ecclesiam regendam. Etenim ut a Chaldaeis idest Nestorianis incipiamus, statim ac hi Ec-

clesiam catholicam deseruerunt sub tempore III[1]. Concilii oecumenici idest Ephesini ob turpissimum praetextum quod, ut ipsi in suis scriptis putidissimo mendacio tradiderunt (1), Ecclesiae *occidentales* scilicet quae in imperio erant Romano, quarum princeps erat Romana, amplexi sint errorem non quidem voluntarium, sed per vim illis impositum ab imperatoribus Graecis qui eos coegerint ad ipsorum arbitrium sequendum; Nestoriani, inquam, principium unitatis quod in Ecclesia catholica didicerant servantes, illico eo usi sunt ad stabilitatem suae ecclesiae procurandam. Igitur constituerunt sibi patriarcham, primatem Seleuciae et Ctesiphontis, eumque supremum suae Ecclesiae pontificem declararunt. Audiamus nestorianum auctorem, Georgium Arbelensem supra citatum in *Officiorum distinctione tract. 2. cap. 6.* (2) haec breviter ita narrantem: « Quoniam Oriens » *(qui Persarum imperio subditus erat)* sine patriarcha » remanserat *(idest post inchoatum Nestorianorum schi-* » *sma),* et inconveniens sit religionem sine summo capite » exstare, consilium suscepere patres nostri ipsum pri- » matem patriarcham creare, servantes illi et priscum » primatis titulum. Cum enim a sancta Synodo *occidentali* » *(intelligit Concilium Nicaenum)* quae Orthodoxorum una- » nimem voluntatem referebat, hunc titulum ille accepis- » set, *(patres nostri)* patriarchatu illum auxerunt, consi- » derantes non convenire ut religio nostra sine patriar- » cha remaneat. Ideo autem neminem alium praeter pri- » matem, ad patriarchatus dignitatem elevaverunt, ne » viderentur auctoritate sua privata sibi audacter anti- » stitem constituere » (3). Hic patriarcha Seleuciae et

(1) Vide epistolam 43 Timothei patriarchae Nestorianorum, Codic. XXVII. pag. 652.

(2) Cod. XXXI. pag. 99.

(3) Ex his Georgii Arbelensis verbis liquet, huic Nestoriano seculi X[1]. auctori ignotum prorsus fuisse commentum illud a posterioribus Nestorianis effictum, quo contenderunt, quatuor imperii romani magnos patriarchas ante concilii Nicaeni tempora ad Seleucien-

*

Ctesiphontis per verum principium cum falsa applicatione a suis creatus, summam auctoritatem in omnes Nestorianos adeptus est. Omnes enim hujus sectae sequaces, qui brevi temporis lapsu ita multiplicati sunt, atque ad remotissimas regiones colendas pervenerunt, ut ecclesias habuerint erectas usque in Sinarum civitatibus, omnes, inquam, ab uno illo Seleuciae patriarcha pendebant; ejusque statutis, mandatis, nutibus, quae sive disciplinam ecclesiasticam, sive fidem respicerent, sine ulla querela obtemperabant. Uno verbo patriarchae Nestorianorum omnia summi Pontificis jura erga suos exercere, synodos convocare, iis praesidere, eorumque decreta confirmare, liturgiam et cultum dirigere, metropolitas et episcopos modo confirmare, modo ipsi juxta suum placitum creare, novos libros approbare vel condemnare, dubia circa fidem exorta solvere, visitationes ad limina sua ab omnibus metropolitis et episcopis exigere, et alia similia plena potestate et suprema jurisdictione, a qua ad synodum appellare nefas erat, per plurium seculorum decursum facere visi sunt. Haec omnia nonne manifeste demonstrant, illis populis christianis perspectissimum fuisse mentibusque eorum alte fixum, Ecclesiam, juxta constitutionem quam Christus illi dare voluit, sine summo et universali Capite subsistere non posse?

Quod hactenus de Nestorianis festinanter praelibavimus, idem fere de Syris Jacobitis dicendum est. Qui usque ad seculum VI. in quo opera Jacobi Baradaei monophysitismi diligentissimi fautoris ab Ecclesia catholica separati sunt, per patriarchatum Antiochenum, cui tota gens Syriaca subjecta erat, a pontifice Romano quem eorum monumenta ostendunt, ut videbimus, solum esse legitimum Petri successorem, omnino pendebant; et sic per hanc a Christo institutam politiam, unitatis Ecclesiae universa-

sem metropolitam qui tunc erat quidam Papas nomine, litteras sui omnium nomine misisse, quibus illi dignitatem patriarchalem in toto Persarum imperio contulerint.

lis participes erant. Ex quo vero Concilium Chalcedonense miseri acceptare renuerunt, illudque ut heterodoxum insane rejecerunt, ita ut Ecclesia catholica e sinu suo eos respuere debuerit, tunc susceperunt novum principium scissionis et divisionis quod ipsi conflaverant, cum antiquissimo unius supremae auctoritatis principio mirum in modum copulare. Ex una enim parte, quamquam tota fere Aegyptus, patriarchae Alexandrino subjecta, nec non et omnis Armenorum natio, quae et ipsa patriarchae Antiocheno subjecta erat, eandem cum Syris Jacobitis fidei confessionem heterodoxam eodem fere tempore amplexi sint; attamen ex his tribus nationibus scilicet Syris, Aegyptiis et Armenis, eandem fidem habentibus, numquam ex illo tempore conflata est una Ecclesia, nec ullo modo exinde inter eas intercessit una religiosa atque ecclesiastica communio, quae ante illud schisma inter illas regnabat, ita ut nonnisi partem Ecclesiae universalis tunc formarent. Nam ex quo hi Monophysitae ab Ecclesia catholica separati sunt, Armeni quidem novum patriarchatum sibi creantes, omnino a Syris et Aegyptiis se sejunxere; immo ex illo tempore magnae profecto acerrimaeque controversiae atque discordiae inter illos et hos per plura saecula regnarunt. Inter Syros autem et Aegyptios interrupta est in perpetuum omnis ecclesiastica communio, quae unam ex diversis populis et nationibus format Ecclesiam; evanuitque salutaris illa unio quae antea has duas nationes conjunxerat, cumque Ecclesia Romana, unitatis centro et auctoritatis origine fortiter obligaverat, ita ut illo felicissimo tempore cum omni veritate Syriaca Ecclesia in suo divino cultu canere posset (1): « Crux Filii Dei, » quam absconditerat populus nequam Judaeorum ingra» torum, hodie apparuit in toto terrarum orbe, sanctaque » Ecclesia gestiens illi obviam ivit, eamque obsequenter » adoravit. Jerosolyma, quae Eum crucifixit, destructa

(1) Offic. fer. feriae VI. edit. Rom. an. 1853. pag. 368.

» est: jam autem *Roma, Syria* et *Aegyptus* Eum adorant, » quod ab idololatria eas liberavit; » hujus, inquam, antiquae unionis nihil remansit, nisi miserum vestigium, magna ex parte negativum. Res observatione dignissima. Ex quo Syri, et Aegyptii ab Ecclesiae unitate se separaverunt, nullum concilium apud eos habitum est, nec haberi tentatum, sive generale, sive particulare!

Scientes tamen ex altera parte Syri, magnum periculum suam novam schismaticam ecclesiam per novum divisionis principium a se inductum incurrere, arripuerunt ab Ecclesia catholica unitatis principium, sibique ipsis tenaciter applicarunt. Exinde enim patriarcha Antiochenus monophysita, quem catholici et legitimi loco magna industria Syri habere potuerunt, evasit pro iis summus pontifex, omnia jura supremae auctoritatis exercens, totius ecclesiastici ordinis centrum constitutus, omnia ad se attrahens, eodem fere modo quo, ut vidimus, apud Nestorianos res se habuit.

Summo jure igitur possumus affirmare, Chaldaeos et Syros tum dictis tum factis satis superque evidentia praebuisse argumenta, sibi perspectissimum esse quod auctoritatis supremae unitas quam Christus per Petrum in Ecclesia sua constituit, non debebat per hujus mortem extingui, sed semper in Ecclesia existere usque ad consummationem saeculi.

§. 3.

Supremae auctoritatis unitas, cujus necessitatem Chaldaei et Syri tum dictis tum factis professi sunt, est in ipsorum mente de jure divino, per Petrum a Christo instituta.

Neque vero credamus Syros, et Chaldaeos supremae auctoritatis unitatem, quam, ut supra vidimus, tum dictis tum factis professi sunt, super aliud fundasse principium praeter primatum Petri, a Christo divinitus illi collatum. Nam, ut a Chaldaeis seu Nestorianis

initium sumamus, hi haeretico spiritu ducti, cum effutiverint, Romanam Ecclesiam una cum ceteris ecclesiis *occidentalibus* per violentias ab imperatoribus ipsi illatas ab orthodoxa fide aberrasse, et proinde primatum quem, ipsis fatentibus ut infra videbimus, a Petro per legitimam successionem habuerat, quoad exercitium saltem suspensum fuisse; fatue putarunt suum novum patriarcham, a se creatum, Romano Pontifici posse surrogari, ejusque loco jura supremae potestatis exercere. Recolantur verba quae in primordiis suae novae Ecclesiae hi Schismatici in synodo protulerunt (**QQ**) ad confirmandam ac roborandam sui patriarchae recenter instituti novam potestatem, eamque divina auctoritate quam Christus Petro dedit, fulciendam. Non abs re erit etiam denuo citare verba supra (**RR**) relata, quae in synodo Dadishoi patriarchae dicta sunt: « Tradamus » nosmetipsos, inquiebant, omni mortis generi pro patre » et antistite nostro, qui est noster rector et gubernator, » atque omnium divini thesauri divitiarum dispensator, » Domino Dadishoo catholico (*seu* primate), qui nobis est » alter PETRUS, CAPUT *reipublicae nostrae ecclesiasti-* » *cae.* » Quam verius quamque pulcherius talem protestationem erga verum et legitimum Ecclesiae Caput, summum pontificem Romanum, proferrent catholici episcopi! Interim ex his evidenter patet, Nestorianos summam potestatem qua eorum Ecclesia regebatur, ex primatiali potestate Petri, etsi immerito, repetivisse. Ad id autem confirmandum, audiamus quod in synodo Hannanishoi patriarchae anno 685 habita prolatum est (1): « Eccle- **GGGb**
» siae filii membra sunt Christi, qui fidelis est et non » iniquus, justus et rectus et non habet membra fraudu- » lenta et vitiosa; qui in terra patrem et principem con- » stituit, qui est illius pars et similitudo, estque Petrus » caput Duodecim. Qui autem in hac primatiali cathedra » sedet, Petrus est, eo quod Petro hereditate succedit...

(1) Cod. XXVII. pag. 552.

» Et qui hanc cathedram hereditate habet, Petrus est,
» et Christi pars est ad instar Petri. »

Quod ad Syros seu Jacobitas attinet, audiamus hujus sectae auctorem saeculi IX. Mosem Barcepham supra citatum, qui de ritibus consecrationis episcopalis agens *in Expositione Caeremoniarum Ordinationis* (1) ait:
« Si patriarcha est qui consecratur, tunc, praeter ea quae
» de traditione baculi pastoralis supra dicta sunt, per
» acceptationem baculi pastoralis significatur Christum
» ipsi dicere id quod Petro soli dixit, nempe: *Convertere*
» *et confirma fratres tuos*, et *Tu es Petra;* quibus verbis eum
» suis collegis praefecit, quamquam omnes pastores essent. »
Si haec non sufficiunt, proferamus etiam alium testimonium, desumptum ex inaugurali hymno quo Syri Patriarcham suum ad se venientem recipiunt, in quo canunt: « Ave vere Pastor, sapientissime Rector, *funda-*
» *mentum Ecclesiae sicut Petrus,* et Paulo simillime.....
» Beata est Ecclesia, quae te suscepit. » Constat igitur et Syros summam apud se auctoritatem derivare ex B. Petri primatu. Utrum vero hoc merito faciant, id nunc non quaerimus: satis sit hic nos demonstrasse, juxta mentem Ecclesiae Syrochaldaicae, primatum ad quem Christus Petrum pro bono Ecclesiae elevavit, non debuisse per ejus mortem ab Ecclesia cessare, sed necesse esse ut sit semper in Ecclesia unus summus Pastor, qui eadem Petri auctoritate in ipsa polleat, eamque erga omnes Christi fideles exerceat.

(1) Cod. *Sharfian*. pag. 185 *recto*.

ARTICULUS III.

DE ROMANORUM PONTIFICUM PRIMATU UNIVERSALI, UT B. PETRI SUCCESSORUM.

Hactenus ex documentis Ecclesiae Syrochaldaicae luculenter, ut censemus, atque omnis generis argumentis probavimus, hanc Ecclesiam firmiter semper credidisse 1° Petrum apostolum a Christo Ecclesiae summum pastorem et supremum antistitem constitutum fuisse; 2° hanc supremam auctoritatem per Petrum inceptam debere semper in Ecclesia apud ejus successores existere.

Post haec videamus, qualem traditionem Ecclesia Syrochaldaica habuerit circa Petri successores. Ut ordine quodam procedamus, ostendamus ex monumentis Ecclesiae Syrochaldaicae 1° Petrum Romanam Ecclesiam usque ad suam mortem rexisse; 2° Romanos episcopos primatum jurisdictionis et magisterii habere in universam Ecclesiam, et quidem eundem ac illum quem Petrus gessit, uno verbo Romanos pontifices esse solos veros ac legitimos Petri successores.

§. 1.

Petrus Apostolus rexit Romanam Ecclesiam usque ad mortem.

Tam copiosa sunt monumenta quae testantur, Syrochaldaicam Ecclesiam firmiter tenuisse sanctum Petrum Romae fuisse illiusque Urbis ecclesiam usque ad mortem rexisse, ut supervacaneum existimemus diu in hac re morari. Satis erit unum aut alterum testimonium ex Chaldaeis et Syris protulisse.

Ecclesia Chaldaica in officio sanctorum Petri et Pauli in secundo nocturno (1) sic canit: « Exornemus, fratres, **KKK**

(1) Cod. XLI. pag. 864.

» nosmetipsos laudabilibus ac eminentibus actibus in com» memoratione Apostolorum et doctorum, qui doctrina sua » mundum illuminarunt; *Petri electi Apostolorum capitis,* » qui *Romae complevit suum ministerium,* » etc.

Ecclesia autem Syriaca eandem veritatem multipliciter et innumeris in locis testatur. In officio apostolo-
LLL rum Petri et Paulli, in I. nocturno (1) canit: « Glorifi» cemus Deum majestate plenum, qui ad fortissimam Ro» mam misit jugum discipulorum illustrium, Petrum et
MMMM » Paullum. » Et paullo post: « Per Neronem impium co» ronati sunt magnates Apostolorum, Petrus et Paullus.» Non pigebit etiam testimonium auctoris jacobitae seculi XIII[i]. nomine Joannis episcopi Mardensis audire, qui in suo tractatu de *Chrismatis* sacramento, disputans cum Nestorianis, qui contendebant se habere fermentum, ipsis ab Apostolis traditum ad conficiendum panem euchari-
NNN sticum, sic eos perstringit (2): « Blaterant etiam (Ne» storiani), asserentes fermentum illud quod tenent esse » ex Apostolorum Fermento, quod a Nestorio, cum e sua » sede expulsus fuit, furto captum est et absconditum... » tum ad illos allatum. Quibus respondemus, hoc in scri» pturis non inveniri, quod Apostoli secum circumtulerint » Oleum *(alteram Nestorianorum fabulam)* et Fermentum. » Deinde *Romani* ipsi, apud quos *Apostolorum magnates* » *Petrus et Paullus* fuerunt, et apud quos *(martyrio) co» ronati sunt,* et a quibus denique *accuratam acceperunt* » *Evangelii doctrinam,* azymo utuntur pane, non autem » fermentato. »

Adeo compertum erat Syrochaldaeis, Petrum Romae fuisse, ibi Ecclesiam rexisse, ibique coronam martyrii meruisse, ut cum libri eorum liturgici eius laudes celebrent, passim dicant ipsum Romae fuisse, memorentque quid ibi gesserit, at ne semel quidem gestorum ab ipso in urbe Antiochia memoriam faciant, nec etiam dicant ipsum

(1) Cod. LXIV. pag. 135.
(2) Cod. *Sharf.* pag. 225 *verso.*

in illa urbe fuisse, quamquam Antiochia principalis esset illius Ecclesiae sedes.

Disputatum est olim inter Theologos, utrum episcopatus quem Petrus Romae gessit, dicendus sit de jure divino, utrum scilicet Petrus divino aliquo jussu Romam advenit. Jam vero si de hac quaestione Ecclesiam Syrochaldaicam interrogamus, affirmativum habebimus responsum. In officio enim Pentecostes Syrorum in 2 *kalo* I.ae horae (1) dicitur: « Spiritus descendit de coelo ad » coenaculum, et ignem ad instar linguarum Apostolis » distribuit. Simonem misit Romam; » etc. Et in secundo nocturno ejusdem officii (2) dicitur: « Missi sunt Apo» stoli ad evangelizandos omnes populos; unicuique autem » eorum locum designavit et dedit Filius Dei; Simoni qui» dem Romam.» Adeo apud Syrochaldaeos compertum erat Petrum Romae fuisse, ibique episcopatum exercuisse, ut non dubitaverint affirmare id eum fecisse per mandatum divinum.

§. 2.

Episcopus Romanus est Petri apostoli in divino primatu successor.

Hactenus vidimus, traditionem Ecclesiae Syrochaldaicae testari Christum Dominum Petrum constituisse supremum Ecclesiae suae caput, illique in eam omnem auctoritatem dedisse; insuper hunc Petri primatum non debuisse ejus morte cessare, sed perpetuo in Ecclesia manere; denique Petrum Romanum episcopatum gessisse usque ad mortem. Ex his omnibus jure merito ita concludimus: Ergo juxta traditionem Ecclesiae Syrochaldaicae, episcopi qui Petro in Romana sede succedunt, primatum illum habent in Ecclesia, quem Petrus habuit. Etenim

(1) In supplemento Cod. LXIV. pag. 28.
(2) Ibidem pag. 21.

Ecclesia Syrochaldaica docet ac tenet, episcopos Apostolorum successores esse. Nam, teste Mose Barcepha toties citato, in *Expositione caeremoniarum Ordinationis* (1): « Ideo (consecrator) eum (*idest* consecratum) inthronizat, » scilicet eum ter sedere facit in throno, clamans in singulis sessionibus Ἄξιος, idest dignus, ut testetur tum ipse » tum illi qui post ipsum assistunt, consecratum dignum » esse vocationis et electionis cui a Deo vocatus est, et » *honoris sedis apostolicae.* » Et paullo post (2): « Baculum » tenet cum consecratur, scilicet virtutem divinam et munus apostolicum quod Dominus noster Apostolis dedit. » Eandem veritatem agnoscunt Chaldaei, teste Elia Damasceno, qui in suo *Nomocanone* arabice scripto ait (3): « Cum autem Apostoli cursum suum compleverint, et ad » Dominum migraverint, ipsorum locum tenuerunt successores et heredes eorum. Dicebantur autem tunc episcopi » qui Apostolis succedebant et ipsi *apostoli.* » Cum ergo juxta traditionem Ecclesiae Syrochaldaicae episcopi Apostolis succedunt, ille qui Petro Ecclesiae capiti succedit, easdem habere debet praerogativas ac Petrus. Ergo episcopus Romanus, qui solus est Petri successor, primatum tenet jurisdictionis ac magisterii in universa Ecclesia.

Hoc autem quod indirectis argumentis, quamvis invictissimis hactenus probavimus, probatur etiam directis argumentis, idest claris et apertis Ecclesiae Syrochaldaicae testimoniis.

Jam ab antiquissimis temporibus Ecclesia Syrochaldaica traditionem de Romanae Ecclesiae supra omnes alias primatu didicerat a S. Ignatio martyre, gloria Sedis Antiochenae matris totius nationis Syrochaldaicae, atque in magna aestimatione et veneratione omnibus in seculis ab illa natione habito. Hic enim in epi-

(1) Cod. *Sharf.* pag. 183 *verso*.
(2) Ibidem.
(3) Cod. Vat. 157 ex Arab. pag. 14 *verso*.

stola (1), Syrochaldaeis notissima, quam ad Romanos scripsit, sic de Romana Ecclesia loquitur, prout sonat textus versionis syriacae (2): « Ignatius Deo indutus » (θεοφόρος) ad illam quae magna est magnitudine Ex- » celsi et Jesu Christi filii ejus unigeniti; Ecclesiam » dilectissimam et illuminatam voluntate Dei omnia con- » tinentis et comprehendentis, et caritate Jesu Christi » Dei nostri; ad Illam quae habet sedem primam in re- » gione Romae, dignissimam Deo, dignissimam maje- » state, dignam beatitudine et gloria, dignam puritate, » sedentem in principali sede caritatis in lege Christi. » Qui tot et tales de Ecclesia Romana titulos in suis monumentis legunt, qualem ejus excellentiae, praeeminentiae, primatus, jurium ideam animo sibi efformare debent! Revera mirum est, quotiescumque in monumentis orientalibus et praesertim Syrochaldaicis mentio Ecclesiae Romanae fit, quot et qualibus titulis ac laudibus eam videmus magnificatam. Sed operae pretium est monumenta Syrochaldaica investigare, ut inde eruamus praeclara de Romani Pontificis summis juribus in universam Ecclesiam testimonia.

Inter canones antiquos, tum a Chaldaeis, tum a Syris (3) receptos, exstant et in magna veneratione habentur Canones Nicaeni vulgo *Arabici,* de quorum authentia non est hic locus disserere. Solum liceat animadvertere, hos canones saeculo iam V°. ineunte apud gentes Syrochaldaeas notissimos fuisse, apud quos fama est illos ex Occidente idest ex imperio Romano a Marutha episcopo Maiparactensi allatos fuisse. Certum est

(1) In vulgatis enim apud Syrochaldaeos hujus sancti martyris Actis, unius tantum epistolae fit mentio quam ipse ad Romanos scripserit.

(2) Cod. XLIV. pag. 88.

(3) Circa Syros merito dubium oriri potest, ex eo quod hi in canonum collectionibus apud ipsos vulgatis non soleant Nicaeni concilii canones exhibere nisi illos viginti vulgatissimos. Attamen Barhebraeus in suo Nomocanone citat canones vulgo nicaeno-arabicos, et praecise ubi agitur de Romano pontifice, ut videbitur infra.

autem non tantum Syrochaldaicam gentem hos canones recepisse; nam et Copti eos habuerunt, et in corpore juris ecclesiastici, non secus ac Syrochaldaei, inseruerunt, ut videre est apud Benassalum, celebrem Coptorum canonistam. Etiamsi vero hos canones vulgo Nicaeno-arabicos, supposititios esse saltem in parte concedatur, ut communiter putant eruditi, maximam tamen auctoritatem habent, cum ii nobis testantur quae fuerint illorum temporum ecclesiasticae traditiones et consuetudines disciplinares apud Orientales, non secus ac res se habet quoad Canones vulgo *Apostolorum*. Eo autem vel maxime hi canones auctoritate pollent, quod ii tum apud Chaldaeos, tum apud Syros, tum denique apud Coptos, ut supra innuimus, in corpore juris ecclesiastici inserti sint, non secus ac canones ceterorum conciliorum.

Jamvero hi canones Nicaeni vulgo arabici, insigne nobis exhibent testimonium, circa horum populorum sensum de praerogativis Romanorum pontificum. Etenim in UUU II° horum canonum dicitur apud Chaldaeos (1): « Quatuor Patriarchae sint in universo mundo, *quorum caput* » sit *Romanus*, juxta decretum quod Apostoli in suis ca- » nonibus statuerunt. » Hic canon in omnibus Chaldaeorum canonum collectionibus seu Nomocanonibus, scilicet Benattibi, Eliae Damasceni, Ebedieshoi Sobensis, etc. allegatur. Elias enim Damascenus inter alios sic eum VVV arabice exhibet (2): « Patriarchae sint tantummodo qua- » tuor in universo mundo, quemadmodum quatuor sunt » mundi elementa et Evangelii scriptores. Sit autem *prin-* » *ceps ille qui Romam tenet*, juxta Apostolorum decretum.» Verum paullo aliter hic canon apud Syros legitur, teste Barhebraeo, qui in *cap. 5. sect. 1. Nomocanonis* eum ci- XXX tans, ita exhibet (3): « Quatuor sint Patriarchae juxta » numerum tractuum mundi, quorum omnium *summum*

(1) Cod. XXVII. pag. 6.
(2) Cod. Vat. 557 ex Arab. pag. 32 *verso*.
(3) Cod. XXX. pag. 63.

» *caput est Romanus.* » Ideo autem dicitur in hoc canone Romanus pontifex decreto apostolico esse omnium in Ecclesia caput, quod facto apostolico accidit ut Petrus Romam venisset, ibique episcopatum gessisset usque ad mortem. Non igitur placito ecclesiastico et multo minus civili seu politico episcopus Romanus primatum habet.

In VIII° autem eorundem Nicaeno-arabicorum canonum dicitur (1): « Quemadmodum potest patriarcha quidquid YYY
» jure vult facere cum illis qui ipsius auctoritati subsunt, » (ita) *patriarcha Romanus jurisdictionem* habeat *super* » *omnes patriarchas,* sicut *beatus Petrus (habebat) super* » *totam rempublicam* (Ecclesiae). » Ex quo deducimus 1° Pontificem Romanum eadem auctoritate pollere super totam Ecclesiam, quam singuli patriarchae in suos subditos habent; 2° hanc Romani Pontificis auctoritatem ex Petro derivari, idest illum hujus in Ecclesiae universae primatu esse successorem.

His et similibus rationibus innixus, Benattibus celebris canonista Nestorianus seculi XI. in *Nomocanonis cap. de Sacerdotio*, agens de hierarchica constitutione Ecclesiae ait (2): « Ecclesiae canon praecipit ut inferior ZZZ
» superiori obediat, *omniumque obedientiam concludat pa-* » *triarcha Romanus;* ipse enim *locum tenet Simonis Petri.* » Ergo 1° episcopus Romanus eandem habet auctoritatem ac beatus Petrus ; 2° omnes christiani episcopo Romano subjecti sunt, quemadmodum singuli suis episcopis; 3° denique omnes et singuli episcopi Romano praesuli subjacent, sicut ipsis eorum subditi. Huic innixus fundamento Ebdieshous Sobensis Nestorianus canonista in *tract.* 9. *Nomoc.* dixit : « Maximae Romae datus est *(patriarchatus)* ZZZa
» propter duas columnas in ea positas, s. Petrum inquam » Apostolorum principem, et Paullum gentium doctorem. » Propterea haec sedes est omnium prima, *(quique in ea* » *sedet)* patriarcharum caput est. »

(1) Cod. XXVII. pag. 10.
(2) Cod. XXIX. pag. 150.

Recipiunt etiam Syri et in corpore sui juris recensent canones Sardicenses (1), in quibus notum est qua ratione primatus Romanorum Pontificum agnitus affirmatusque fuit. Liceat partem unius ex his canonibus citare, prout apud Syros legitur. Itaque in canone III°
א dicitur (2): « Hosius episcopus dixit:..... Honoremus » memoriam Petri apostoli, ut scribatur ab iis qui ju» dicium tulerint epistola de hoc negotio Julio Romae » episcopo; ut per episcopos qui provinciae viciniores » sunt, si opus fuerit, denuo renovetur judicium, ju» dicesque ipse det, » etc.

Clariora suppeditat nobis de Romanorum pontificum auctoritate testimonia Ephesina synodus, magna in reverentia a Syris habita (3), et in eorum juris ecclesiastici corpore inserta. Itaque inter hujus synodi documenta prout Syri ea habent, primo exhibetur sancti Caelestini episcopi Romani epistola « ad clerum et populum Con» stantinopoleos, » in qua hic pontifex « sententiam in Ne» storium tulit, resciditque decisiones ab illo factas. » Inter
ב alia ait Caelestinus in hac epistola (4): « Ne autem vel » levissimo temporis spatio credatur vim habere sententia » ab isto lata, qui divinam sententiam manifeste contra » seipsum provocavit; *auctoritas Sedis nostrae* decrevit, ut » nemo ex episcopis, vel clericis, vel quisquis alius sit ex » quacumque Christianorum conditione, qui a Nestorio aut » ab illis qui ipsi similes sunt, ex quo talia praedicare

(1) Chaldaei seu Nestoriani, quamquam et ipsi Sardicensem synodum recipiant, non solent tamen illius canones in suis canonum collectionibus exhibere.

(2) In altero codice syriaco nitidissimo, quem prae manibus habemus, pertinente ad praedictum monasterium Sharfianum Syrorum in Monte Libano. Continet hic codex, maxima cum diligentia exaratus, corpus juris ecclesiastici Ecclesiae Syrorum.

(3) Hanc sanctam synodum Nestoriani non recipiunt, utpote quae eorum haeresim condemnaverit eosque ab Ecclesiae catholicae unitate separaverit.

(4) In codice altero *sharfiano* corpus juris ecclesiastici Syrorum continente, de quo mox.

» coeperunt, e suis locis vel a communione amoti fuerint, » credatur esse seiunctus aut a communione segregatus.» In hac epistola inseri fecit pontifex exemplar litterarum ab ipso ad Nestorium missarum, in quibus inter alia sic *patriarcham Constantinopolitanum* perstringit (1): « Si ג
» novitatem hanc quae extra fidem est, per scriptum reli- » gioni nostrae congruum non rejeceris ac reprobaveris in- » tra decem dies, a die quo haec animadversio ad te per- » venerit et manifeste tibi ostensa fuerit, ac per scriptum » non condemnaveris hanc damnabilem haeresim, alienus » es ab omni Ecclesiae catholicae communione. » Potestne majori vi summa auctoritas in ipsos episcopos et patriarchas declarari? Et tamen haec in documentis Syriacis reperiuntur, nec opus est archivium Ecclesiae Romanae explorare ad ea invenienda.

Pergamus documenta synodi Ephesinae perlustrare, ד
ad ulteriora pro re nostra argumenta investiganda. « Cum eum (*idest* Nestorium) », ait sancta Synodus in ferenda contra hunc haeresiarcham sententia (2), « Cum eum de- » teximus tum ex ejus epistolis, tum ex ejus scriptis quae » coram nobis nuper lecta sunt, tum denique ex iis quae » nunc ab illo sunt dicta in ista metropoli, unde convi- » ctus est impie eum sentire et praedicare, a canonibus » necessario compulsi et a *litteris sanctissimi Patris no- » stri et comministri nostri Caelestini episcopi Ecclesiae » Romanorum,* persaepe lacrymantes, ad hanc lugubrem » sententiam devenimus; » etc. In epistola denique, quam Caelestino papae scripserunt Patres synodi, ita eum allocuti sunt (3): « *Sanctitas* ergo *tua decernat* circa haec quae ה
» acta sunt. Si enim locus datur illis qui etiam sedes suis » *(sedibus)* maiores injuria afficere quaerunt, et contra il- » los in quos nullam auctoritatem habent, sic judicia prae- » ter canones et leges ferunt idest injuriam, cum propter

(1) Ibidem.
(2) Ibidem.
(3) Ibidem.

» timorem quidem Dei tot vituperia tulerint (1) hi pro» pter quos et nunc divina religio precibus Sanctitatis » tuae denuo resplenduit, in perfectam confusionem cedunt » Ecclesiae negotia. Sin autem qui talia ausi fuerint, eo » modo quo convenit increpati fuerint, tota machinatio » cessabit, et reverentia canonibus debita ab omnibus » praestabitur illis. »

Concilium Chalcedonense in parte ejus dogmatica tum a Nestorianis, cum a Jacobitis rejicitur (2). Non desunt tamen in hujus celeberrimae synodi historia prout in istorum schismaticorum monumentis exhibetur, invictissima pro Romanorum pontificum juribus argumenta. Nam Severus Mucaffa, historicus jacobita saeculi X[i]. narrans ea quae hujus oecumenicae synodi celebrationem praecesserunt, ait (3): « Tunc convenerunt ad eum (*idest* ad » Leonem pontificem Romanum) aliqui ex illis qui censura » *(a Dioscoro episcopo Alexandrino)* percussi erant, cau» samque suam ad illum detulerunt (*seu* ad illum appel» larunt), conquerentes se injuste tractatos fuisse, denun» ciantesque Patrem Dominum Dioscorum patriarcham » Alexandrinum, quod synodum coegerit *quin Leoni de» bitum locum daret,* quaerens ab eo statuta; et quod in» consulto eo multa gesserit, ita ut ipsum patriarcham

(1) In margine: *In alio exemplari: Strenuitates demonstraverint.* Hac occasione liceat animadvertere, quam diligentes quamque accurati sint Syrochaldaei in vertendis aliarum linguarum scriptis in suam, ut subinde ii quasi scrupulis affici videantur. Similis diligentia in Graecis auctoribus omnino desideratur. Arabes quoque valde incurii sunt in alienis scriptis vertendis. Medii inter hos et illos incedunt Romani seu Latini; loquor semper de antiquis. Ceterum amanuenses etiam Syrochaldaici saepe textum solent vitiare.

(2) Maximam admirationem nostram excitat harum duarum sectarum agendi ratio quoad sanctam synodum Chalcedonensem. Cum enim ejus decretum dogmaticum quod illarum errores profligavit, rejiciunt, ejus tamen canones disciplinares non solum non reprobant, sed admittunt in suisque nomocanonibus inserunt, non secus ac canones concilii Nicaeni ceterorumque conciliorum ab ipsis perfecte approbatorum.

(3) Cod. Vat. Syr. 159. pag. 129 *verso*.

» Constantinopolitanum episcoposque qui cum eo erant ex» communicaverit, quamquam ii innocentes essent. Omnia, » dicebant Leoni, Dioscorus fecit juxta placitum suum, » quin consilium tuum peteret. Tu es, pergebant, *Pater Do» minus Patriarcha maximus;* tu es *successor Petri apostoli » principis Discipulorum.* Qua ratione Dioscoro haec facere » licet, te vivente? » Similia fere narrat historicus Nestorianus, Amrus Matthaei, alias citatus, *lib. 3, cap. 8.* (1).

Insuper idem Amrus Matthaei, *loco citato,* consentiente Severo Mucaffa *loco citato,* narrat, imperatorem Marcianum, postquam coetus episcoporum Constantinopolim in synodum convenerit et lectus sit *Tomus* (*idest* celebris Dogmatica Constitutio) Leonis Romani pontificis, dixisse
illis: « En documentum et fides Leonis, qui est Pater ז
» maximus inter vos. » Haec verba, quamquam ab imperatore feruntur fuisse prolata, attamen a Patribus concilii ratificata fuisse dicenda sunt, cum non solum nemo ex iis, non exceptis ipsis patriarchis et praesertim Dioscoro patriarcha Alexandrino, qui a Leone damnatus est et ab illa synodo reprobatus esse dicitur, imperatori ita loquenti contradixerit, sed omnes facto suo, quo Leonis *Tomo* plene adhaeserunt, ejus sententiam approbaverint.

Cum autem synodus Chalcedonem convocata fuisset, in ipsa synodi inauguratione, ait Barhebraeus histori-
cus jacobita in Chronico (2): « Leonis *(Romani pontificis)* ח
» legati in medio steterunt et dixerunt: Jussum nobiscum » ferimus beati viri apostolici, Papae Romani, *qui est ca» put omnium ecclesiarum,* ut Dioscorus in Synodo non
» sedeat. » Et post pauca (3): « Adversarii eius *(scilicet* ט
» Dioscori) (4) responderunt, eum, cum judicandi facul-

(1) Non omnia quae in hac paragrapho ex historiographis orientalibus citamus, vera ad amussim et accurata esse contendimus. Id autem non officit principio cui ea innituntur, quodque tantummodo hic nos quaerimus. Itaque non eà veluti documenta historica proferimus, sed ut testimonia opinionis illorum inter quos ea scripta sunt.

(2) Cod. Vat. Syr. 166. pag. 263. *verso.*

(3) Ibidem.

(4) Nota historiographum esse monophysitam.

» tate non polleret, temere ausum esse synodum facere » sine auctoritate apostolicae Sedis Ecclesiae Romanae. » Postea idem Barhebraeus narrat, Dioscoro, juxta legatorum Romanorum voluntatem, jus sedendi in synodo denegatum fuisse (1).

Denique Chalced. concilium praeclarum suppeditat nobis testimonium de Romanorum pontificum suprema in Ecclesiam auctoritate, juxta ea quae habentur in magno Nestorianorum Corpore juris ecclesiastici, ubi dicitur (2): « Paschasinus et Lucentius episcopi, Basilius et Senator » presbyteri *(quos paullo ante legatos Leonis pontificis Ro-» mani esse dixerat auctor)*, dixerunt: Sanctus Leo, Eccle-» siae curam gerens et totius veritatis fidei quae ad omnia » sese extendit, cum didicisset perturbationes circa my-» sterium incarnationis Domini nostri in Oriente exortas » esse, nuper ad Flavianum, qui ante tempus ecclesiae » *(hujus)* episcopus erat, litteras misit. » Pergunt legati: « Propterea nunc ipse Leo,.... jussit, ut ad hunc locum » omnes convenirent episcopi. » Denique « Commonet nos, » ajunt, eximia sua caritate, ut sic agamus. Nempe si » *(Anatolius episcopus)* manu sua signaverit hanc quae » missa est epistolam et testimonia quae illi conjun-» cta sunt ita ut fides in iis declarata quae quidem » omnem excludit dubitationem, accepta fuerit, gratiam » quae est ex Sede apostolica ipsi impertiamur, cum » ipse sciat Leonis communionem per communionem » nostram ad se derivari. Insuper ipse pater noster » Leo addidit nobis admonitiones suas, ut illi fratres » sancti episcopi qui in beati Flaviani depositione nul-» lam partem habuerunt, si huic quam attulimus epi-» stolae et Patrum testimoniis quae cum ea sunt assen-» tiuntur, gaudeant participatione communionis divinae » nobiscum. »

Post aliquod tempus, cum sedem Antiochenam opera

(1) Ibidem.
(2) Cod. XXVII. pag. 201.

imperatoris occupasset Severus, qui monophysita erat et
synodo Chalcedonensi adversissimus, quique imperatoris
subsidio utebatur ad prava sua consilia exsequenda, teste
praedicto Amro Matthaei (1), « his auditis, Symmachus
» patriarcha Romanus, excommunicavit Severum et quot-
» quot cum eo sentiebant. »

Idem historiographus (2), postquam retulisset, Hono-
rium pontificem Romanum, cum Sergius patriarcha Con-
stantinopolitanus ad illum scripsisset, ejus sententiam sci-
scitans circa Christi voluntates, respondisse (3): «Ne di-
» camus duas voluntates, neque unam; » addidit (4): « Ec-
» clesiae consilium propter ejus agendi rationem pertur-
» batum fuisse (5). » « Deinde Joannem *(Honorii secundum
» successorem)*, cum vidisset fluctuationis et perturbationis
» statum quo agitabatur Ecclesia, scripsisse ad Heraclium
» ejusque fratrem Constantinum, » etc. Auctor Joannis lit-
teras in integrum citat, ex quibus sequentia excerpere
liceat (6): « Dicimus et profitemur unam esse *(in Chri-
» sto)* voluntatem in oeconomia sanctae ejus humanitatis.
» Non autem dicimus duas voluntates contrarias, *(unam)*
» ejus mentis propriam, *(alteram)* corporis. Et hoc quidem
» sensu scripsit Honorius patriarcha Romanus ad Sergium
» patriarcham Constantinopolitanum: *Confitemur quidem
» duas esse voluntates contrarias in mente et corpore* (id-
» est *hominis);* quod nonnulli ad suum pravum sensum
» pervertentes, putarunt Honorium opinatum fuisse unam
» esse in divinitate et humanitate D. N. J. Christi volunta-

(1) Cod. XLV. pag. 8.

(2) Ibidem pag. 14.

(3) Ibidem.

(4) Ibidem pag. 15.

(5) Fateor, auctoris sensum posse esse (quod et probabilius est), *ejus opera perturbatam fuisse Ecclesiam,* cum auctor videatur potius infensus esse Honorio, eum Maronitam seu monotheletam summa injuria appellans. At iste Nestorianus auctor ex illis quae ipse de Honorio narrat, se confutat, nolensque hujus pontificis apologiam non contemnendam exhibet, ut in textus cursu ostenditur.

(6) Ibidem pag. 16.

צ » tem » (1). In fine ait pontifex: « Rogamus vos, ut jubea-
» tis comburi libellum quo Leoni praestantissimo Romae
» patriarchae synodoque Chalcedonensi detrahebatis, ne
» legantur, mentesque infirmorum una cum fide eorum per-
» vertantur. » Pergit narrare, Constantinum imperatorem
filium praecedentis demortui haec scripsisse ad Joan-
ק nem (2): « Grato animo praeceptum tuum accipimus.....
» Jam quod jussisti perfecimus, scilicet libellos contra san-
» ctissimum Leonem Romanum patriarcham praestantissi-
» mum et synodum Chalcedonensem scriptos in ignem
» immisimus et combussimus... Nos firmi sumus in *do-*
» *ctrina tua , quae est doctrina veritatis.* »

Denique narrat Barhebraeus in *Chronico* (3), quod:
ר « Martinus episcopus Romanus, *qui erat* Chalcedonensis,
» coegit synodum centum et novem episcoporum, et ana-
» thematizavit Heraclium imperatorem, Sergium, Pyr-
» rhum et Paullum, et quotquot non confiterentur esse
» in Christo duas voluntates, duas operationes, et duas
» figuras. »

Haec et similia facta considerantes episcopi Chaldaei, in synodum sub patriarcha Dadishoo anno 430 collecti, non dubitarunt sequentia proferre memorabilia verba (4):
ש « Vos, patres nostri scitis, quotiescumque inter nos ali-
» quod dissidium vel discordia evenit, ipsos *patres nostros*
» *occidentales* exstitisse *sustentatores* et tutores hujus Pa-
» ternitatis (*scil.* sedis primatialis Seleuciensis), cum qua
» nos omnes discipuli ac filii conjuncti et copulati sumus,
» eodem modo quo conjunguntur membra totius corporis
» cum capite, quod est membrorum rex. » Per *occidentales patres* intelligunt hi praesules Chaldaei episcopos Imperii Romani, inter quos praeeminebat summumque locum tenebat pontifex Romanus, ut patet ex documento ab ipsis Chaldaeis Nestorianis, utrum vere an falso hic non quae-

(1) En apologia Honorii ab ipso historiographo prolata.
(2) Ibidem pag. 17.
(3) Cod. Vat. Syr. 166. pag. 273 *verso*.
(4) Cod. Propag. XXVII. pag. 279.

rimus, exhibito (1), quo contendunt sedis Seleuciensis episcopum metropolitanum propter regum Persarum persecutiones et saevitiam ab *occidentalibus* episcopis ad *catholici* seu primatis dignitatem erectum fuisse, ita ut in tota ditione Persica posset episcopos creare, cum antea hoc jus patriarchae Antiocheno competebat, utpote in cujus patriarchatu illa Persica ditio comprehendebatur. Jam vero, inter hujus documenti auctores primo loco nominatur pontifex Romanus, deinde veniunt nomina trium aliorum patriarcharum, scilicet Alexandrini, Antiocheni et Ephesini. Ex hoc documento patet, Chaldaeos illius temporis, licet persecutionibus et aerumnis incessanter vexatos, non credidisse se independentem posse constituere Ecclesiam, ut nonnulli ex haereticis et schismaticis hodiernis sibi blandiuntur, sed eos firmiter tenuisse Ecclesiam Christi ita unitatem praeseferre debere, ut gradatim unusquisque « inferior superiori subiectus esse » debeat ([redacted]); » et ita omnia et singula membra sibi invicem compingantur et ininterrupta catena colligantur usque ad Romanum Pontificem, qui est omnium summa compages communeque fulcimen, et quo sublato omnia in Ecclesia disjunguntur ac dissolvuntur.

Sed quaeri potest, cur igitur dixerunt hi auctores *Episcopos occidentales*, et non dixerunt *episcopum Romanum* simpliciter hoc privilegium sibi dedisse? Nempe quia illis temporibus pontifices Romani ob persecutiones, itinerum difficultates et alia, ordinarie non solebant cum Syrochaldaeis populis valde a Roma dissitis tractare, nisi per patriarchas Antiochenos quibus illi subjecti erant (2).

(1) V. Assem. *Bibl. Orient.* t. 3. p. 1. pag. 54. seq.

(2) Possum addere et aliam rationem. Nempe cum Nestoriani primis seculis hoc documentum Occidentalibus tribuebant, intelligebant Synodum Nicaenam, in cujus canone III. vulgo *arabico* datur revera hujusmodi privilegium episcopo Seleuciensi. Tum igitur propter hanc causam, tum etiam quia cum sedes illa Seleuciensis in patriarchatu Antiocheno comprehendebatur, non conveniebat ut pontifex Romanus sine consensu hujus patriarchae hanc ditionem ab

Jure igitur merito, Ecclesia Chaldaica, excelsam dignitatem considerans ad quam Romana Ecclesia per principatum Petri erecta est, furore quasi divino rapta, ח sic in suis sacris hymnis canit (1): « Dicit Roma: In ae» ternum aedificata est Ecclesia, et non superatur a regi» bus nec a magnatibus. » Quonam jure, quaeso, in mente Ecclesiae Chaldaicae, Roma seu Ecclesia Romana hoc tam fidenter dicere posset, nisi eo quod inter omnes ecclesias ipsa principatum teneret? Quanam enim ratione haec Urbs, tam a Chaldaea dissita, inducitur tali modo loquens, in officio hujus Ecclesiae publico, nisi ob primatum quo illius episcopus pollere ab ea creditur? Denique cur Romana civitas prae ceteris civitatibus fingitur Ecclesiae catholicae firmitatem tam alte praedicare, nisi quia hanc seu Ecclesiam supponitur suam firmitatem ab illa seu ab illius episcopo qui sit Petri successor, derivare?

Non alium eadem Ecclesia Chaldaica animum habere debet, cum, ut alibi vidimus ([redacted]), in suis publicis precibus חa canit: « Beata es celeberrima Roma, regalis urbs, *Sponsi » caelestis ancilla.»*

Atque haec sunt quae ex *puris* ac *solis* Syrochaldaeorum monumentis nobis datum est excerpere ad comprobandum Romanorum pontificum primatum in universam Ecclesiam.

Interim iis quae hactenus exposuimus attente consideratis, juvat inde deducere, quomodo germen fidei in Romanorum pontificum primatum, in ipsis christianismi primordiis apud Syrochaldaicos populos seminatum, cito pullulaverit, successivumque incrementum per secula sine intermissione adeptum fuerit, et praesertim sub magnorum conciliorum orientalium memorandis temporibus, ita ut perfectionem jam attigerit, cum exsecranda

illius patriarchali jurisdictione separaret, dixerunt ab Occidentalibus hoc privilegium concessum fuisse. Posterioribus tamen seculis illud documentum effinxere de quo sermo in textu, illudque Synodo Nicaenae anterius supponere coepere.

(1) In vesperis officii dominicae III. Dedicationis Ecclesiae, Cod. XL.

schismata in Oriente irruperunt, populosque Syrochaldaicos dilacerare coeperunt. Ex eo tempore avulsis illis populis a centro unitatis, vivificum illud germen coepit paullatim se retrahere, donec, superveniente seculo IX. magno Photii schismate, et per Caerularii completam defectionem seculo XI°. novam vim assumente, ut totaliter Orientem ab Occidente sejunxerit, hoc germen in Oriente per secula delitescere visum est. Equidem per tempus delituit, at non mortuum est. Nam seculis posterioribus, ad nos vicinioribus, cum adjuvante divina gratia per zelum missionariorum Sedis Apostolicae populi Syrochaldaici avitas traditiones, propter praecedentia schismata obliteratas, resumere, sinumque matris Ecclesiae ab ipsis tanto tempore derelictae appetere coeperint, germen illud apostolicae traditionis principatum Romanae Ecclesiae respicientis, sponte sua illico repullulascere visum est, ita ut sine ulla difficultate tum Chaldaei, tum Syri, tum ceteri filii Aram, facta cum Romana Ecclesia unione, fidem in ejus supremam auctoritatem, non ut rem novam, sed ut antiquissimam gemmam amissam, ultro receperint. Quod historia conversionis Nestorianorum et Jacobitarum mirifice testatur, prout legere est apud Strozam, Assemanum, Raynaldum, alios. Testantur id imprimis mirabilia argumenta, quae suae erga Romanos pontifices observantiae et obsequii tum dictis tum factis saepius dederunt primi illi novorum Catholicorum duces.

Revera hodierni Nestoriani et Jacobitae, qui exemplum majorum suorum per ingressum in Ecclesiae catholicae ovile imitari adhuc renuunt, non negant praeeminentiam et privilegia *Patriarchae Romani,* seu *Papae Romae* ut eum vocant, immo hujus Sedis Apostolicae laudes plenis oribus celebrant. Sed cum cupidine humana illaqueati ac captivati sint, haud mirum est, si facto suo sibi contradicentes, malunt cum porcis siliquas pascere, quam ad sinum tenerrimae matris reverti, amissamque hereditatis partem resumere.

SUMMA PRAECEDENTIUM.

Ex omnibus testimoniis quae hactenus ad ostendendam Romanorum pontificum supremam auctoritatem ecclesiasticam attulimus, liceat nobis sequentes colligere magni momenti veritates, ex Syrochaldaicis monumentis comprobatas.

1. *Romana Urbs primam et principalem possidet in Ecclesia sedem* (**TTT**, **ZZZa**).

2. *Episcopus Romanus est Petri Apostoli successor in divino primatu, quem a Christo habuit* (**YYY**, **ZZZ**, **א**, **ו**, **ל**).

3. *Primatus quo Romani pontifices pollent, nec jure ecclesiastico neque civili ipsis concessus est* (**TTT**, **UUU**, **VVV**, **תa**).

4. *Episcopus Romanus superior est omnibus episcopis et patriarchis* (**UUU**, **XXX**, **YYY**, **ZZZ**, **ג**, **ז**, **ח**, **י**).

5. *Auctoritas Romani Pontificis extenditur ad omnes Ecclesiae filios etiam episcopos et patriarchas* (ibidem).

6. *Episcopi et patriarchae debent Romano Pontifici obedire, quemadmodum eorum subditi ipsis obedire tenentur* (**YYY**, **ZZZ**).

7. *RomanusEpiscopus jus habet appellationes recipiendi ab omnibus Christi fidelibus* (**א**, **ו**, **שׁ**).

8. *Causas majores omnium episcoporum solus Romanus Pontifex cognoscere et judicare potest* (**א**, **ב**, **ח**, **ו**).

9. *Acta episcoporum et patriarcharum potest Episcopus Romanus rescindere atque irrita facere, excommunicatosque ab iis absolvere* (**ב**, **ח**).

10. *Concilia oecumenica Pontificibus Romanis subjecta sunt, illisque* necessario *obtemperare debent* (**ד**, **ח**, **ז**, **ח**).

11. *Pontifex Romanus jus habet concilia generalia convocandi quo ipsi placuerit* (כ).

12. *Pontificis Romani est, universae Ecclesiae gerere curam* (י).

13. *Conciliorum generalium decreta ratificatione Romanorum Pontificum indigent ut vim obtineant* (ח, ו).

14. *Patriarchae nil magni momenti agere possunt, inconsulto Romano pontifice* (ו, ט).

15. *Romanus Pontifex patriarchas ipsos excommunicandi jus habet* (נ, י).

16. *Ecclesiae pax a Romanis Pontificibus pendet* (ס, ע).

17. *Romanus Pontifex jus habet ipsos terrae magnates et reges cogendi ad observanda conciliorum generalium Sanctaeque Sedis Apostolicae statuta* (צ, ק).

18. *Romanus Pontifex jus habet ipsis patriarchis regulam credendi et docendi exhibere, quam ii suscipere tenentur* (נ, ז, ח).

19. *Romanorum Pontificum doctrina est doctrina veritatis* (ק).

20. *Ecclesiae catholicae firmitas ab Ecclesia Romana pendet* (ת).

Haec est summa capitum, quae ex supra allatis Syrochaldaeorum testimoniis pro primatu Romanorum Pontificum erui possunt.

SOLUTIO DIFFICULTATUM.

I°. Objici potest: *Pontifex Romanus a Syrochaldaeis patriarcha nuncupatur. Ergo in eorum sententia ipse non est nisi primus patriarcha.*

R. Pontifex Romanus *episcopi* nomine etiam donatur vel ab ipsis Syrochaldaeis. Sequereturne ex hoc, eum

nullam super episcopos habere auctoritatem? Deinde nonne Petrus simpliciter *apostolus* vocatur sicut et ceteri undecim? Et tamen quanta Apostolos auctoritate, juxta ea quae supra vidimus, antecellebat!

Igitur Pontifex Romanus est in Syrochaldaeorum mente primus patriarcha, ita tamen ut quemadmodum unicuique episcopo omnis ejus ecclesia subjecta est, sic omnes episcopi uni Pontifici Romano Petri successori subjecti esse debeant (**YYY**, **ZZZ**). Sane si cum Ecclesia nuper nata adhuc in cunabulis esset, indiguit ut unus inter duodecim Apostolos « Petrus regiminis causa caput constitueretur » (**BBB**), quanto magis deinceps id necessarium esse dicendum, cum Ecclesia longe lateque per terrarum orbem diffusa plus habet pastores, quam tunc temporis simplices fideles exsisterent? Si duodecim Apostoli, paucique qui ab iis sacra hierarchia insigniti erant, unum supremum habere debuerunt caput ad unitatem servandam (**EEE**), quid dicendum de numerosis ecclesiarum Angelis centenis, ex omnibus nationibus et linguis electis?

Profecto dici nequit, ut nonnulli recentiores de antiquis Graecis (sine vel cum fundamento, hic non quaero) asserunt, Syrochaldaeos credidisse esse in Ecclesia debere quatuor vel plures summos sacerdotes, titulo *patriarcharum* insignitos, aequali potestate pollentes, et solum ordine nominis, vel etiam honoris inter se differentes, quorum unusquisque suam haberet nationem sibi subjectam eamque independenter ab aliis gubernaret. Etenim, omissa nunc historia priorum quinque seculorum, quae hujusmodi commentum alte condemnat, Syrochaldaei, ut vidimus, supremam auctoritatem quae Ecclesiam regit, ex Christi institutione repetunt (**QQ**, **XX**, **CCC**, **EEE**, **TTT**). Jam vero Christus uni Petro supremam contulit potestatem (**QQ**, **XX**, **ZZ**, etc.). Unus ergo esse debet verus Petri successor, et est Romanus Pontifex, cui omnes ecclesiastici ordines subjecti esse debent (**YYY**, **ZZZ**).

Et sane nullibi legimus, saltem apud Syrochaldaeos, aliquem ex *antiquis* (1) patriarchis Petri absolute successorem vocari, vel ejus auctoritate agere, praeter Romanum episcopum. Vel ipsum enim Antiochenum patriarcham, qui sedet in cathedra quam Petrus ipse per aliquod tempus occupavit, non reperimus ab antiquis ut verum Petri successorem in universali super Ecclesiam potestate haberi vel nuncupari. Exaggeratae autem locutiones, quibus Nestoriani, jam a centro legitimae unitatis divulsi, non semel, ut supra vidimus (**RR**), suum patriarcham Petri *auctoritatem* ipsam *habere* contenderunt, non important illum esse hujus verum successorem; aliud enim est, ut clare patet, alicujus potestatem habere, aliud illius esse in auctoritate successorem. Sic, exempli gratia, quamquam simplices sacerdotes, apostolica auctoritate peccata absolvunt, non sunt tamen Apostolorum stricte loquendo successores. Deinde contextus ipse verborum, de quibus agitur, satis manifeste indicat, schismaticos illos episcopos, per suam ab Ecclesia catholica separationem *acephalos* redditos, voluisse sibi summum caput ecclesiasticum creare (2), illique, ut veritatis legitimitatisque speciem aliquam praeseferret, ipsam Petri divinam potestatem tribuere, quam tamen, canonice et theologice loquendo, ipsi ad sedis Romanae episcopos post illius mortem transiisse toties fassi sunt.

II° Objici potest: *Si Chaldaei et Syri primatum Romanorum pontificum perspectum habuissent, non eorum fidem deseruissent, amplectentes nestorianismum et monophysitismum.*

R. Falsissima est hujusmodi argumentatio. Nam quis contendere potest, Rom. pontificum primatum non fuisse perspectum illis qui seculo XVI. Ecclesiam catholicam

(1) Ideo dico *ex antiquis*, quia scio, patriarchas Antiochenos Jacobitarum *recentius* ausos esse in suis patriarchalibus actis subinde se Petri successores appellare.

(2) Confer locum **GGG**.

deserentes lutheranismum vel calvinismum amplexi sunt? Quis negabit Jansenianos seculi XVII'. qui tantam contumaciam erga legitimam Ecclesiae auctoritatem ostenderunt, hanc auctoritatem perspectam non habuisse? Nimirum illud est proprium erroris cujuscumque temporis et loci, ut secum ferat et contradictionem et absurditatem et similia.

Age enim vero ipsi Nestoriani et Jacobitae in ipsa fidei materia, propter quam e sinu Ecclesiae catholicae se divulserunt, praeclarum hujus proprietatis quam error habet, nobis suppeditant argumentum. Nam illi quidem, idest Nestoriani, fatentes equidem Jesum Christum esse unum eundemque Dei filium mundique Salvatorem, effutiunt tamen asserentes eum duas habere personas, ita distinctas, ut Christum quidem hominem e beatissima Maria Virgine natum esse, non autem Christum Deum confiteantur; item cum Christum hominem mortuum esse nosque redemisse concedant, Christum Deum negent mortuum pro nobis esse. Hi autem, scilicet Jacobitae, quamquam profiteantur Jesum Christum esse perfectum Deum perfectumque hominem , divinitatemque non posse pati , attamen non erubescunt asserere eum in una esse natura, ita ut passio et ceterae humanitatis imperfectiones ipsi naturae divinae tribui debeant.

Igitur nil mirum est, si cum Chaldaei et Syri primatum Romanorum pontificum perspectum haberent, eorum tamen fidem et communionem , seipsos enormiter condemnantes, dereliquerint. Itaque nos optimo jure possumus hos haereticos ita perstringere: Nonne Pontifex Romanus est B. Petri successor, cui in omnibus quae fidem et disciplinam ecclesiasticam spectant omnes Christifideles, ut vestra monumenta tam evidenter testantur, obtemperare debent? Cur igitur vos ei obedientiam denegatis? Illi vero stultitia sua occupati , nullum aliud se habere responsum putant, praeter illud quod Dioscorum patriarcham Alexandrinum, famosum monophysitismi patrem et fautorem, ipsi Monophysitae referunt de-

disse in concilio contra Monophysitas habito, ut alias innuimus. Cum enim, ipsis testibus, Leonis Pont. Rom. Constitutio dogmatica in synodo prolata esset, dictumque fuit Dioscoro: « En documentum et fides Leonis, qui est » maximus qui sit inter vos, » Dioscorus, hoc negare in concilio non audens, scilicet Leonem esse omnibus qui erant in concilio superiorem, more haereticorum hoc diabolicum dedit responsum (1): « Etiam Satanas maximus » erat inter Angelos. Sed cum contra Deum se rebellem » constituit, cecidit et factus est Diabolus. Eadem ratione » Leo, si rectam quidem fidem profitetur illique obedien- » tem sese exhibet, est utique ipse maximus, eminentissi- » mus, excellentissimus. » At stultissimus homo et omnes qui eum imitantur, non advertunt hoc argumenti genus contra ipsos a suis subditis posse jure merito retorqueri ipsisque dici: Si veritatem sic vel sic doceatis, si talem vel talem rem agere vos cernamus, obediemus utique vobis; secus, non. Quid respondendum haberent huic argumento, quod latissimam aperit viam omni schismati, omni rebellioni, omni haeresi? Hoc est enim maximum omnium Schismaticorum et Haereticorum malum, quod ii, cum simpliciter superioribus obedire tenentur, e contra velint seipsos antistites, magistros, duces constituere. Et hoc ipsum manifestissime ostendit, quam necessarium est ut in Ecclesia semper habeatur una visibilis, suprema, et irrefragabilis auctoritas, quae peremptorio judicio dirimat omnes lites, jurgia, controversias, dubia, quae in Ecclesia singulis horis vel inter ipsos praesules oriri possunt; quod et ipsi nostri Schismatici Syrochaldaei pluries, uti vidimus, theoretice quidem agnoverunt, quamquam practice sibi ipsis contradicentes, principium a se verbotenus admissum et juxta pravi animi sui cupiditatem applicatum, facto suo destruxerint (2).

(1) Apud Severum Mucaffa, alias citatum, Cod. Vat. Syr. 159. pag. 129 *recto*.

(2) Ved. Art. II. §. 2.

Ut vero aliquo modo stupor circa istorum Haereticorum in hac re agendi rationem vel tollatur vel saltem minuatur, sequentia liceat advertere:

1° Schismatici orientales tum Nestoriani, tum Jacobitae differentiam sententiae, quae in rebus fidei inter ipsos et ceteros populos quos dicunt *occidentales*, sive catholicos sive non catholicos, exsistebat, non voluntario horum populorum errori seu ab ipsorum doctrina recessui tribuebant, sed imperatorum Graecorum tyrannidi ac violentiis, qui (ut asserunt illi) ad sequendum suum in rebus fidei placitum ecclesias christianas vi ac terrore cogerent; quod quidem (sit dictum per transennam) non adeo falsum est. Pro Nestorianis loquatur Timotheus I. magnus illorum patriarcha seculi VIII'. qui in epist. 43. ad Maronitas ita scribebat (1): « Apud vos quidem *(intelligit eos qui imperio Romanorum subjecti erant)* imperatores christiani regnarunt. Imperatores autem quo eorum animi eos ducebant, sive ad haeresim sive ad orthodoxiam, illuc et sacerdotes et fideles conducebant. Propterea tum additiones tum diminutiones in religione apud vos locum habuerunt. » Non hic locus est haereticum hominem tanta injuria Catholicos afficientem, refellere; sed satis est cognovisse Nestorianorum opinionem in re de qua agimus. Confer etiam testimonium historici Amri, sub littera **GG** citatum. Pro Jacobitis habemus testimonium Barhebraei eorum maphriani, qui in Chronico ait (2): « Ideo Deus ultionum per Ismaelitas (*idest* Arabes mohammedanos) nobis procuravit libertatem e manibus Romanorum (3)... Cum enim Arabes dominium habuerunt, omni religiosae professioni intactum servarunt quod invenerunt eam prae manibus habere. Non parum autem profecimus nos (*idest* Jacobitae), quod de Romanorum nequitia et odio quo nos persequeban-

(1) Cod. XXVIII. pag. 652.

(2) Cod. Vat. Syr. 166. pag. 273.

(3) Imperatores Graeci nomine *Romanorum* apud Orientales semper noti fuerunt.

» tur, liberati simus.» Hinc est quod Catholicis in Oriente odiosum nomen *Melchitarum* idest *imperialium* seu *caesareorum*, inde a seculo V° a Nestorianis, ac Jacobitis, et deinceps a Monotheletis imponi coeperit; quod nomen orientalibus Catholicis illius temporis adeo necessario adhaesit, ut illorum descendentes quamquam per plures phases transierint, adhuc eo nomine dignoscantur. Hinc etiam est, quod nunquam in monumentis Nestorianorum vel Jacobitarum inveniamus anathema Ecclesiae Romanae dictum (1).

2' Illud autem maxime consideratione dignum est, quod hi Schismatici, quamquam a communione Ecclesiae Romanae se separaverint, non censebant tamen eam primatum, quem propter Petri apostoli successionem acquisiverat, amisisse. Etenim Timotheus supra citatus Nestorianorum patriarcha scribens ad Indos, teste Benattibo ([illegible]), dicit summum auctoritatis ecclesiasticae residere in Romano pontifice, quin addat aliquid quod innuat eum propter haeresim illam auctoritatem amisisse; quod si iste solertissimus ac valde vividus scriptor credidisset, non omisisset certe dicere, saltem ambitione ductus ad suam auctoritatem amplificandam. Seculo autem XI. idem Benattibus cum in suo Nomocanone praedicta Timothei verba tamquam canonicum documentum

(1) Sanctissimus Leo Magnus, Ecclesiae Romanae splendidissimum decus, utique a Jacobitis cujuscumque nationis ut haereticus impie habetur, ita ut illius venerabili nomini in eorum libris liturgicis non semel anathema detur, eo quod eorum haeresim tanto triumpho ac gloria profligaverit. At quod attinet ad Syros saltem, observemus, ipsum Barhebraeum magnam Syro-Jacobiticae sectae columnam, in loco alias citato *Chronici* (Cod. Vat. Syr. 166. *pag. 261 seq.*) expressis verbis narrare, Leonem non sponte, sed precibus ac lacrymis imperatorum Valentiniani ac Placidiae victum, Tomum eorum voluntati consentaneum scripsisse, magnumque concilium Chalcedonense eorumdem gratia indixisse; ita ut hic eximius pontifex potius ut imbecillis homo, imperatoriae morositati obnoxius, lacrymisque femineis victus, quam ut haereticus ab illo mendace schismaticae sectae defensore exhibeatur.

citasset, nullam ex suo animadversionem juxta morem suum adjecit, quae significaret pontificem Romanum non amplius hac suprema auctoritate pollere. Hac etiam ratione idem canonista se gessit, cum in suo *Nomocan.* dixit (1): « Eadem est ratio auctoritatis patriarcharum » in metropolitas aliosque, quae est Romani patriarchae » in omnes patriarchas. » Denique seculum XIV^m. quo Ebedjeshous Sobensis suum Nomocanonem scripsit, mirificam assertioni nostrae confirmationem praebet. Cum enim hic canonista diversos in suo opere canones retulisset quae primatum Romani pontificis affirmabant, illos eadem prorsus ratione exhibuit, ac ceteros canones in pleno vigore apud Nestorianos habitos, nempe integros, exactos, omni carentes mutatione aut animadversione, quae illorum vim expirasse, aut suspensam, vel saltem imminutam esse quomodocumque significaret. Atque haec quoad Nestorianos.

Sed, quod omnium maximum est, seculo XIII°. Gregorius Barhebraeus celeberrimus Jacobitarum acutissimi ingenii scriptor et gravissimus maphrianus seu primas, suaeque sectae acerrimus defensor, in suo Nomocanone, in quo singulis fere canonibus quos affert suum adjecit commentarium sub titulo ܗܘܕܝܐ idest *Directionis,* qui est ipsius operis titulus, Barhebraeus, inquam, citat canonem (2), in quo Romani pontificis summa praerogativa asseritur, quin tamen aliquo eundem muniat commentario, cum aliunde ipse per totum suum opus legem sibi imposuerit, ut, quotiescumque canonem aliquem afferat quem obsoletum, vel abrogatum, vel vi sua carentem dignoscat, vel denique quocumque tandem modo animadversione dignum credat, haud omittat id proprio commentario notum facere.

Non abs re est etiam considerare, schismaticos nostros historiae ecclesiasticae scriptores, cum ea narrant quae Romanorum episcoporum praerogativas manifestant,

(1) Cod. XXIX. pag. 382.

(2) Vide locum sub littera XXX.

quamquam ab eorum communione separati sint, suamque haeresim totis viribus propugnent, sine ulla tamen animadversione hujusmodi facta referre, non secus ac si catholici prorsus essent scriptores. Hac ratione Severus Mucaffa episcopus jacobita ea narrat, quae ad condemnationem Dioscori spectant (ח, ט). Sic nestorianus Amrus Matthaei refert Dioscori condemnationem a Leone, excommunicationem Severi Antiocheni a Symmacho, ea quae in Monotheletarum causa Romani pontifices gessere (י, ז, ס, ע, צ, ק). Sed prae omnibus Barhebraeus, in jacobitica secta maxima pollens auctoritate, observatione dignus est: is enim, narrans ea ex quibus in concilii Chalcedonensis celebratione Ecclesiae Romanae dotes praefulsere, ne verbo quidem ea notat, acutissimus ceteroquin imo mordacissimus scriptor (ח, ט).

Nequaquam igitur miremur, quod cum nostri Nestoriani et Jacobitae posterioribus seculis ad sinum Ecclesiae catholicae a divina gratia vocarentur, si quidem aliquam difficultatem quoad fidem in nonnulla capita quae incarnationem Christi respiciunt, invenire crediderunt, nullam certe litem movisse, nullamque difficultatem invenisse noscuntur cum actum est de admittendis Romanae Ecclesiae praerogativis.

Adeo autem schismaticorum nostrorum mentibus alte semper fixum erat, Romanos praesules primatum quem a B. Petro hereditate habuerunt, non amisisse, ut in ipso sec. XI, cum Benattibus Nestorianus suum Nomocanonem concinnaret, non dubitaverit sequentia verba admodum memorabilia ex suo marte proferre (1): « Patriarchae Cte- רד
» siphontis ordinatio fit a *(quatuor)* Patriarchis ope ipsius
» metropolitarum ac episcoporum, juxta id quod iidem de-
» claraverunt *(in suppositia epistola ab ipsis ad metropo-*
» *litanum Seleuciensem missa, qua eum dicuntur ad digni-*

(1) Cod. XXIX. pag. 150.

» *tatem primatialem vel patriarchalem evexisse).* Nisi au- » tem ii *(in illa epistola)* dixissent: Illi *(idest episcopi* » *provinciae Seleuciensis)* impositis nostris manibus ordi- » nant eum *(scilicet primatem Seleuciae),* horum ordinatio » invalida esset. Itaque patriarcha Seleuciensis dicendus » est quidem vere a quatuor Patriarchis ordinari, non » autem ab ejusdem metropolitis atque episcopis. » Atqui, ut supra vidimus, inter hos quatuor patriarchas de quibus hic sermo, quorumque eo tempore quo Benattibus scribebat nullus sensu Nestorianorum orthodoxus erat, primus ac princeps omniumque caput erat Romanus pontifex. Ergo pontifex Romanus in ipso seculo XI ab ipsis Nestorianis censebatur Nestorianorum patriarcham ordinare, scilicet potestatem spiritualem atque jurisdictionem ecclesiasticam illi mystico quodam modo conferre (1). Explicent alii schismaticorum contradictiones, miras agendi rationes, absurditates: mihi satis sit probasse quod probandum susceperam (2).

(1) Tam sublime mentibus Nestorianorum resonat nomen Ecclesiae Romanae, ut ii fictas quorumdam suorum patriarcharum ordinationes ab ipsis Romanis Pontificibus Romae factas ad falsum sibi comparandum honorem excogitaverint. Vid. Assem. *Bibl. Orient.* t. 1. pag. 553.

(2) Inter memorabiles Nestorianorum, apparentes saltem, contradictiones, primo loco recensendum est continuum, quod ipsorum patriarchae adhibuere, exercitium supremae auctoritatis in omnes sui gregis tum episcopos tum ceteros homines, ut sequenti Articulo videbimus, in comparatione ad tam claras tamque frequentes eorumdem in primatum Romanae Ecclesiae confessiones. Ceterum attente consideranti haec duo facta, prout ea in hoc opere exponimus, facile patebit eorumdem conciliationis ratio.

ARTICULUS IV.

DE JURIBUS SUMMI ECCLESIAE CAPITIS, PER SYROCHALDAEORUM TESTIMONIA COMPROBATIS.

Quae Summi Ecclesiae Pastoris sint propria nativaque jura, usus priorum seculorum luculenter in totum ostendere non potuit, cum varias propter causas, exempli gratia infidelium haereticorumque persecutiones, itinerum infinita incommoda, difficultates inter dissitas regiones communicandi, aliaque, Summus Ecclesiae Pastor multa ex juribus suae supremae auctoritati inhaerentibus, prioribus illis seculis exercere haud crederet. Unde priscis illis temporibus partiales ecclesiae per orbem minoribus inter se vinculis conjunctae erant, singulique episcopi majori quodam facultatum exercitio fruebantur; ita ut Supremi Pastoris auctoritas nonnisi in rarioribus et extraordinariis casibus sese ostenderet. At crescente postea et per vastissimas longissimasque terrae plagas sese extendente Ecclesia, cessantibus item jam magna ex parte priorum seculorum impedimentis, Supremi Ecclesiae Sacerdotis jura, suo muneri ex divina dispositione competentia, per universum terrarum orbem coeperunt sese evolvere et in usum venire; ita ut Supremi Capitis auctoritatis exercitium necessarium esse absolute dignosceretur non tantum a catholicis populis, verum etiam ab illis qui e sinu Ecclesiae catholicae jam egressi erant.

Influxus enim veritatis catholicae quae Christianorum mentibus ab ipsa nativitatis hora, ut ita dicam, fortiter insita erat, mirum in modum in haereticos quoque et schismaticos sese manifestavit. Nam cum Syrochaldaici populi Ecclesiae catholicae sinum reliquerint, alii nestorianismum amplectentes, alii monophysitismum, alii aliter catholicae veritati resistentes, catholicas notiones de cetero fere in integrum secum asportarunt, atque apud se servantes,

meliori modo qui suo statui congrueret, in usum deduxerunt. Hinc videmus Nestorianos et Jacobitas, quamquam propter suam haeresim et schisma a communione Romanorum pontificum B. Petri summi Ecclesiae capitis successorum valde remotos, vera tamen jura quae ex divina institutione Supremo Ecclesiae Pontifici competunt non solum non ignorasse, sed perpetuo et constanti usu comprobasse. Nimirum hi populi, licet a legitimo unitatis centro secreti, cum perspectum habuissent suas sectas sine aliqua unitate vivere non posse, sibi unitatis centrum effinxerunt, circaque illud elementis quae ab Ecclesia catholica furati erant consolidatum, sedulo sese aggregantes, illi vehementer inhaeserunt imo sese quodammodo agglutinarunt.

Nestoriani enim et Jacobitae cum amplius non possent de facto confiteri jura supremi pastoris in Romano pontifice, legitimo illorum jurium possessore, a cujus communione separati erant, debuerunt suo singuli fictitio capiti seu patriarchae illa supremi primatis jura tribuere. Ecclesia autem catholica et ex hoc suum bonum eruere potest. Rejecta enim ex hujusmodi amalgama, opera schismaticorum hominum formata, adventitia ac vilissima schismatis scoria, pretiosum aurum inde extrahit, quod suum est, utque rem suam resumit, atque digno loco reponit.

Quod et nos in hoc Articulo, quantum debiles nobis vires permittunt, perficere assumimus. Investigatis nempe Syrochaldaeorum jam in haeresim lapsorum, seu Jacobitarum et potissimum Nestorianorum, vetustis monumentis, primo quae jura Supremo Ecclesiae Pontifici ex eorum testimonio competant, certis documentis statuemus; deinde eadem jura Romani pontificis tantum propria esse, facili negotio demonstrabimus. Unde constabit, Ecclesiae adversarios pro ipsius veritate testes haberi non tantum directos, sed et indirectos.

Age ergo videamus quid Nestorianorum et Jacobitarum monumenta dicant de juribus, ipsorum patriarchae

non qua uni ex patriarchis, sed qua summo suae sectae pontifici, debitis.

§. I.

Omnes episcopi cujuscumque tandem dignitatis sint, Summo Ecclesiae Antistiti subjecti esse debent, ipsique IN OMNIBUS *obedire tenentur.*

Testetur primum pro Jacobitis Moses Barcepha, qui in *tract. 4. de Sacerdotio, cap. 6.* ait (1): « Patriarcha, » Catholicus, Metropolita, et Episcopus in χειροτονεία aequales sunt, nec ulla inter ipsos exstat differentia aut » discrepantia... At eligitur Patriarcha, ut *omnes Episcopos, Catholicos, et Metropolitas regat.* »

Idem pluribus in occasionibus aperte professi sunt nostri veteres Chaldaei, id est Nestoriani. Anno enim 498 episcopi nestoriani in synodum, Babuaeo patriarcha praeside, collecti, sequentibus verbis foedus sollemne inierunt (2): « Una voce unoque sincero animo et pura charitate fratrem nostrum sanctissimum et sacratissimum » Dominum Babuaeum episcopum *catholicum* (*idest* primatem) veluti caput, rectorem, imperatorem, et αυτόκρατον » considerabimus, omnibusque negotiis quae per eum religiose peracta fuerint, assensum nostrum dabimus.» Anno autem 567 sub Ezechiele patriarcha dictum fuit synodaliter (3): « Patriarchae nomen *pater principatus* interpretatur, sub eoque sunt omnes ECCLESIASTICAE POTESTATES, atque ab eo virtutem et auctoritatem assumunt, ut existentiam habeant. » Profecto nisi istis episcopis compertum esset, ex institutione divina in Ecclesia Christi unum esse debere semper Summum Pastorem, cui omnes episcopi inferiores et subjecti sint, non ita locuti forent. Quae enim hic de suo patriarcha a Nestorianis prae-

(1) Cod. *Sharf.* pag. 124 *retro.*
(2) Cod. XXVII. pag. 301.
(3) Ibidem pag. 371.

dicantur, nullo jure nullaque ratione illi competere possunt tamquam patriarchae, ut evidenter patet, sed tamquam supremo pro iis, etsi falso, Ecclesiae capiti. Recolantur etiam ea quae alibi sub littera **RR** retulimus, ex quibus certissimum apparet, in similibus locutionibus non considerari Seleuciae episcopum ut patriarcham, sed ut summum, etsi immerito, pastorem, Petri ipsius apostoli plenam auctoritatem habentem. Age vero, quis unquam vel ex Orientalibus ipsis somniavit, singulos patriarchas qua patriarchas Petri ipsius suprema auctoritate pollere, ita ut Petrus non jam unum successorem habeat, sed quatuor vel quinque vel amplius? Nimirum in his et similibus locis loquuntur Nestoriani de illo Summo Capite, cui, ipsis testibus, ut alibi (**DDD**) retulimus, « nemo est superior, nisi Deus ». At patriarchae qua patriarchae, fatentibus ipsis Nestorianis, superiorem habent, qui est Romanus pontifex.

§. II.

Omnes et singuli episcopi statis temporibus Supremum Pastorem visitare debent, illique rationem reddere status suarum dioeceseon.

Et hoc resonantissimis verbis Nestoriani professi sunt. In praedicta enim synodo Ezechielis patriarchae statutum est, referente Ebedjeshoo Sobensi in *Nomocan. tract. 8. n. 19.* (1), ut « Singulis quatuor an-
ZZ » nis semel metropolitae, et episcopi ad Patriarcham » simul conveniant pro communibus negotiis. » De illis vero quorum dioeceses remotissimae essent, ita decre-
HH tum est (2): « Episcopi magnae provinciae, scilicet » alii metropolitae Sinarum et Indiarum .... qui dissiti » sunt..., singulis sex annis semel adhaesionis (*seu* obe-

(1) Apud cl. Card. Majum *Script. Vet. Nov.* Collect. t. 10. pag. 307.
(2) Ibidem.

» dientiae) litteras ad Patriarcham mittant, quibus *nota* » *faciant omnia suarum regionum communia negotia, quae* » *remedio indigeant.* » Quo quaeso jure tanta auctoritate episcopus unus episcopos omnes suae dictaturae subjicere potest, nisi ille ab iis habeatur ut supremus pastor, cui commissa sit omnium et pastorum et gregum cura? Scio, jure antiquo omnes episcopos statis temporibus apud suum metropolitam in synodum provincialem convenire debuisse. At hoc, ut clare apparet, valde differt a Nestorianorum lege supra memorata, quae comprehendit metropolitas cum episcopis et episcopos cum metropolitis sub unius episcopi universali quaestura, quaque statuitur ut etiam episcopi illi qui in dissitissimis a nestorianismi centro regionibus resident, jure teneantur Patriarcham adire, etsi de facto alio modo hoc munus permittatur illis explere. Testibus igitur Nestorianis, Summus Ecclesiae Pontifex jus habet universos suae communionis episcopos obligandi, ut ipsum statis temporibus adeant, certioremque de statu animarum illis commissarum ipsum accurate faciant.

§. III.

Summus Pontifex potest episcopis vetare ut sine ejus venia ad principes terrae accedere possint.

Hoc in canonibus Nestorianorum invenitur, teste Ebedjeshoo Sobensi *loc. cit. n. 19.* (1): « Item episcopis et me- מט
» tropolitis omnibus nefas est, sine Patriarchae permissu » ad imperatorem accedere. » Equidem synodus Antiochena can. 11. simile jus dedit omnibus metropolitis una cum episcopis suffraganeis quoad singulos episcopos. At Nestorianorum patriarcha sibi soli hoc jus reservavit tum erga metropolitas, tum erga episcopos omnes horum suffraganeos. Si hoc tyrannidem sentit, quaerimus a Nestorianis: Cum

(1) Ibidem pag. 312.

episcopo Seleuciensi, qui, vobis fatentibus, nulla legitima auctoritate sed privato vestrorum majorum placito ad patriarchatus apicem evectus est, tanta ultro conceditis; estne possibile ut eadem vel etiam minora pontifici Romano, omnium patriarcharum, vobis fatentibus, capiti, sedem B. Petri apostoli occupanti, non concedatis? Nimirum hoc Nestoriani, sublata semel maxima eorum difficultate ex parte dogmatis Incarnationem respicientis, concedere non renuunt, ut historia eorum conversionis testatur. Imo (audiant Catholici) in ipso schismatis statu supremam plenamque episcopi Romani jurisdictionem non denegarunt. Vide quae pag.65. et sequentibus disseruimus.

§. IV.

Summus Pontifex prout necessarium vel utile videat, omnes episcopos ad synodum convocandi jus habet, ita ut episcopi sine mora obedire teneantur.

Apud Nestorianos, sub Ezechiele patriarcha statutum est, referente praelaudato Ebedjeshoo Sobensi *loc. cit.* (1), ut « si Patriarcha causam urgentem habeat, ut universos » praesules vel saltem aliquos intra illud tempus (2) quan» documque convocet, sine mora debeant cito adire. » Hoc jus non est certe patriarchale, nulla enim lege tale patriarchis omnibus concessum est; est ergo primatiale, utique usurpatum ab illo qui a suis ut suae sectae caput tenebatur. Metropolitis enim et patriarchis nullum secundum canones jus competebat synodum cogere, nisi post susceptum suorum coepiscoporum consilium.

(1) Ibidem pag. 308.
(2) Quatuor annorum ab eorum canone statutorum.

§. V.

Summus Pontifex potest urgentia negotia ad commune Ecclesiae bonum spectantia ipse solus extra synodum peragere.

Id Nestoriani concedunt. Nam in synodo Jeshujabi eorum patriarchae anno 588 habita, canone 16 ita statutum est (1): « Perturbatio ordinem destruens quae » hactenus locum habuit propter despicientium auda- » ciam, qui contempserunt et conculcarunt proscriptio- » nes vel censuras ipsis impositas, idest quas episcopus » in clericos, vel metropolita cum episcopis in episcopos » delinquentes, vel denique *patriarcha solus* decreverit, » id urgenter exigente Ecclesiae regimine, verbo Dei de- » cernimus ut locum amplius non habeat. » Metropolitae et patriarchae juxta canones nil magni momenti agere possunt extra synodum. Hoc jus ergo quod Nestorianorum patriarchae tribuitur, non qua patriarchae competit illi, sed quatenus supponitur, etsi falso, eum esse Ecclesiae summum pastorem.

§. VI.

Summus Ecclesiae Antistes jus habet libros novos examinandi, atque bonos quidem commendandi, malos autem prohibendi.

Hujusmodi maximae utilitatis jus quoad universam Ecclesiam ipsi Nestoriani et Jacobitae solius Summi Ecclesiae Sacerdotis proprium esse, non autem singulorum vel simul collectorum episcoporum, confessi sunt. Loquatur pro Nestorianis Ebedjeshous Sobensis in *Nomoc. tract. 9 n. 6* (2): «Antiqua consuetudo, ait, tenebatur vi-

(1) Cod. XXVII. pag. 413.
(2) Apud Maium pag. 329.

» gensque erat in Ecclesia Dei, ut nemo ex Doctoribus ad
» commentandos *(sacros libros)* vel ad *(novum)* opus pu-
» blicandum sua auctoritate procederet, praeter manda-
» tum et licentiam illius qui gubernacula administra-
» tionis universalis Ecclesiae tenebat. Hac enim ratione
» se gerebant omnes qui commentarium dicebant, vel li-
» bros componebant. Sive enim novos libros scriberent,
» sive commentaria vel homilias componerent, antequam
» sua scripta publici juris facerent, ea ad Patriarcham
» mittebant, aut ipsi ad eum ferebant. Ipse autem Pa-
» triarcha, instituto illorum scriptorum examine,... quae
» quidem approbatione et corona digna videret, appro-
» babat atque coronabat, quae autem improbanda sciret,
» ea reprobabat. » Ex Jacobitis prodeat Barhebraeus,
qui in *Nomocan. cap. 7 sect. 9* ait (1): « Omnis liber ec-
» clesiasticus (*idest* agens de materiis quae Ecclesiae in-
» tersunt) recenter compositus, debet a Patriarcha in Oc-
» cidente (*idest* in Syria, etc.) et a Maphriano (*seu* pri-
» mate) in Oriente (*idest* Assyria, etc.) examinari (2); ut
» si quidem secundum Spiritum inveniatur esse compo-
» situs, eum approbatione muniat. » Institutio ergo sa-
cri Indicis, quem pontifices Romani erexere, ut mali a
bonis libris secernantur, a manibusque fidelium avertan-
tur, justissima est, antiquitatique, saltem Syrochaldaeo-
rum, innixa.

(1) Cod. XXX. pag. 88.

(2) Stricte loquendo, hujusmodi jus juxta Orientalium principia nonnisi ad Patriarcham pertineret. Ast Barhebraeus simile jus ex suo marte Maphriano quoque adscripsit, non alia ratione quam quia ipse maphrianus erat, suamque volebat amplificare jurisdictionem.

§. VII.

Summus Ecclesiae Pastor potest episcoporum et metropolitarum auctoritatem, prout utile ac opportunum judicet, in aliquibus limitare.

Principio advertendum est, quod tempore quo Nestoriani ab Ecclesia separati sunt, multis facultatibus tum metropolitae tum episcopi fruebantur, quarum descriptionem videre est apud Thomassinum *Vet. et Nov. Ecclesiae Disciplin.* Pluribus harum facultatum nestorianismi Summus Pontifex, nullo justificatus titulo praeter temporis necessitatem, suos metropolitas ac episcopos, quin hi reniterentur, credidit spoliare. Nonnullas ex his facultatibus jam superioribus paragraphis perpendimus. Inter ceteras a Nestorianorum Patriarcha sibi reservatas commemorare nunc juvat jus monasteria scholasque ab antistitum jurisdictione eximendi, episcopos et metropolitas judicandi, puniendi, ac deponendi, eos ab una ad alteram sedem transferendi, jejunia et festa pro toto suae sectae grege indicendi, sacram liturgiam officiumque divinum statuendi ac ordinandi, dispensationes graviores ab universalibus Ecclesiae legibus concedendi; de quibus omnibus longum esset singula documenta adducere, quae quidem videri possunt apud Assem. *Bibl. Or. t. 3 p. 2 cap. de Patriarcha,* nec non apud Ebedj. Sobensem editum a cl. Majo, et alios. Interim nos ex his omnibus concludimus, Chaldaicam gentem, etsi per schisma ab Ecclesia divisam, praeclarum nobis exhibere testimonium quod secundum temporum conditiones et necessitates possunt metropolitarum ac episcoporum facultates, pro majori Ecclesiae bono, a Summo Pontifice limitari ac coarctari. Observatione namque dignum est, quod eodem fere tempore, quo pontifices Romani in Occidente episcoporum jurisdictionem pro rerum adjunctis restringere coeperunt,

Seleucienses patriarchae jam nestorianismi facti summi antistites, idem in extremo Oriente moliri susceperint, temporum quidem conditionibus respondentes, at nulla legitima auctoritate muniti.

§. VIII.

Summi Pontificis sententia tali virtute praedita est, ut nefas sit ab ejus judicio ad quemquam, etiam ad Generale Concilium appellare.

Hanc veritatem ex primatu procedentem Chaldaei agnoverunt, cum hujusmodi virtute pollere suum patriarcham, quem pro summo suae sectae antistite habebant, sollemniter affirmarunt. Id dicuntur praestitisse in synodo patriarchali a Dadishoo patriarcha anno 430 habita, ubi haec feruntur (1) statuta: « Non licet episcopis contra suum caput ducemque suum synodum facere, cum » nullam in ipsum habeant potestatem. Sciant ergo, sibi » nefas esse manus suas extendere ad id quod nec a Deo » neque ab hominibus datum ipsis est.... Statuimus igitur » atque affirmamus legem hanc, quae numquam vi sua ca- » ritura erit neque abrogabitur, quia sancta Trinitate eam » sigillamus: Ut per verbum Trinitatis nemini fas sit sy- » nodum contra Primatem *(Seleuciae)* cogere, aut litem » movere, vel capita accusationum vel querelarum contra » eum scribere.... Sed ipse auctoritatem habeat judicandi » omnes qui ipsi inferiores sunt; judicium autem ipsius » reservetur Christo, qui ipsum elegit, elevavit, caputque » suae Ecclesiae constituit. Sic enim divinae ejus boni- » tati placuit, ut *per suae Ecclesiae principatum creda-* » *tur et honoretur universalis ejus Dominatio.* » Hanc legem canonistae nestoriani in suis canonum collectionibus retulere.

Inter alios Benattibus sic scripsit (2) : « Uno verbo judi- » cium illorum qui sub eo (*idest* Patriarcha) sunt, ad ipsum

(1) Cod. XXVII. pag. 278. et 281. et 282.

(2) Cod. XXIX. pag. 382.

» pertinet; ipsius autem judicium, ad Christum. Quod et » Dadishous confirmavit, statuens, ut synodus cogi non » possit adversus Primatem, neque ei lites intendere cui- » que liceat.» Prodeant nunc temerarii illi, qui ab ipsius Romani pontificis, Petri apostoli legitimi successoris, sententia ad synodum appellare non verentur; prodeant huc, ut suam sollemnem condemnationem ab ipsis Schismaticis et Haereticis audiant.

§. IX.

Summi Pontificis proprium est statuta fidem respicientia edere, atque controversias circa eandem exortas supremo atque peremptorio decreto dirimere.

Hujusmodi potestatem ex summo primatu emanantem Nestoriani aeque ac Jacobitae in suo singuli patriarcha, ut suae sectae capite, agnoverunt tum jure, tum facto. Quoad jus, sufficiat unum testimonium adducere, in synodo Nestorianorum sub Maraba patriarcha an. 544 coacta prolatum, ubi in prooemio de hoc patriarcha dicitur (1): « Neque sic gratia *(divina)* eum cessare sivit; sed ad con- עע
» solidationem, confirmationem ac corroborationem statu- » torum atque canonum, nec non ad veram fidem *(decer- » nendam)*, ad definienda officia ac bonam christianam- » que agendi rationem filiorum Ecclesiae, sollicitudinem » ei suggessit *(divina gratia)* ut scripta ederet, per ipsius » assistentiam composita. »

Revera hic Marabas plura edidit statuta ad explicandam, definiendam, sanciendam fidem, ut videre est in magno Nestorianorum Nomocanone (2). Idem plurimi ex sequentibus patriarchis praestiterunt, Jeshujabus (3), Timotheus (4), alii (5). De facto autem Nestoriani hujus-

(1) Cod. XXVII. pag. 307.
(2) Cod. XXVII. pag. 321 et seq.
(3) Vid. Assem. *Bibl. Orient.* tom. 3. p. 1. pag. 116. seq.
(4) Cod. XXVIII. pag. 243. 267. 271. 510. seq.
(5) Vid. Assem. *ibid.* t. 3. p. 2. pag. 172. et seq.

modi potestatem seu donum in suis patriarchis agnoverunt, cum eorum decisionibus semper acquieverint easque omni alacritate susceperint atque observaverint.

Idem fere dicendum de Jacobitis, apud quos, ut alibi notavimus, ex quo Ecclesiam catholicam deseruerunt, nullum concilium habitum est. Estne vero credibile, per totum tot saeculorum spatium eos nulla circa fidem decisione indiguisse, nullam circa eandem inter eos controversiam exortam esse? Nimirum Patriarcha praesto erat, qui sua auctoritate suprema, ab omnibus suis maxima veneratione observata, occurrentibus casibus provideret.

§. X.

Summo Pontifici competit jus episcoporum omnium Orbis electionem confirmandi.

Agitur hic etiam de Institutione Patriarchali.

Quidquid sit de eligendi Ecclesiae pastores ratione, quae juxta temporum consuetudines variari potest, illud imprimis in eorum institutione considerari debet, ut scilicet electionem canonica confirmatio sequatur. Jamvero tempore quo Chaldaei nestorianismum amplexi sunt, idest tempore concilii Ephesini, canonica ratio episcoporum electionem confirmandi erat ut ea a metropolita, metropolitarum autem a patriarcha ratihaberetur. At praeter hanc, quae immediata appellari potest, confirmationem, altera omnino omnibus temporibus accedere debet majoris momenti confirmatio ex parte Supremi Ecclesiae Pastoris, idest Romani pontificis, quam quidem confirmationem sive expresse, sive tacite ipse dare potest. Etenim cum sacrorum antistitum institutio sit res maximi momenti, quae universale Ecclesiae bonum respicit, necesse est ut in ea supremi Ecclesiae Capitis auctoritas hac vel illa ratione partem habeat. Id Nestoriani mirifice agnoverunt. Etenim intelligentes, ex recta pastorum institutione pacem,

honorem, bonum Ecclesiae maxime pendere, videntesque non posse de recta eorum institutione certitudinem haberi, nisi Summi Pastoris, cui onus incumbit pascendi agnos et oves, oculi ad illam attente dirigantur, ne quid minus rectum in ea eveniat, lubenter suo patriarchae olim episcopo Seleuciensi et jam pro eis summo sacerdoti jura Supremi Pastoris concesserunt, quae nullo modo illi ut patriarchae competebant. Inter suos enim canones habent sequentem, Isaaco patriarchae tributum, ab omnibusque canonistis citatum, qui ita sonat (1):
« Novus episcopus postea *(idest postquam electus et or-* פפ
» *dinatus fuerit)* debet coram magno metropolita primate
» Seleuciae et Ctesiphontis sistere, et ab eo perfectionem
» seu confirmationem accipere. » In synodo autem sub Hezechiele patriarcha anno 567 habita, haec lex magis explicata fuit. Statutum enim est canone 19 (2) ut: « Illi צצ
» qui ad episcopatus gradum vocantur, per suum metro-
» politam aut per patriarcham aut alterutrius licentia in
» scriptis data, ordinari debeant, quicumque tandem sit
» ordinandus, ita ut pro metropolita vel patriarcha hu-
» jusmodi litterae ab ipsis scriptae in medio ponantur *(in*
» *actu ordinationis)*, ... ut legitima sit ordinatio. Si-
» mul autem ac ordinationem *(novus episcopus)* accepe-
» rit, cito proficiscatur ad venerandum ac videndum Pa-
» triarcham, ut complementum (*seu* confirmationem) ab
» eodem accipiat juxta canonem statutum. Qui autem
» praeter hunc canonem ordinati fuerint, a suis gradibus
» suspensi sunto; qui vero eos ordinaverint, synodi ju-
» dicio subjecti erunt. » Juxta haec non dubitavit Ebedjeshous Sobensis in *Nomoc. tract. 8. n. 9.* (3) hoc principium statuere, quod scilicet « Canon, qui exigit perfe- קק
» ctionem (*seu* confirmationem) a Patriarcha episcopis
» dandam, strictissimus est. Ideo non licet illi qui a
» metropolita ordinatur, ut, antequam coram Patriar-

(1) Apud Ebed. Sobens.
(2) Cod. XXVII. pag. 373.
(3) Apud Majum pag. 305.

» cha se sistat ab eoque confirmationem accipiat, audeat » exercere aliquam ex pontificalibus functionibus. » Et ante Ebedjeshoum haec scribebat Benattibus in suo *No-*
רד *mocanone* (1): « Cum episcopus alicujus sedis moritur aut » deponitur, Seleuciensis *(episcopus)* jus habet idoneum » hominem ejus loco ordinandi. »

Hujus legis rationem tradit Timotheus I. celebris Nestorianorum patriarcha seculi VIII, qui ad quendam populum scribens, ut refert Ebedjeshous Sobensis in
שש *Nom. tract. 8 n. 16,* ait (2): « Haud debebatis imperatori » notam facere electionem metropolitae quam instituistis, » sed primum nobis, et deinceps imperatori, postquam » scilicet *constiterit de idoneitate personae quam elegeri-* » *tis, nosque confirmaverimus electionem a vobis institu-* » *tam.* » Et sane dicitur in canonibus Nestorianorum (3):
תח « Patriarcha est universalis pater, omnesque metropoli- » tae et episcopi filii sunt hereditatis ejus. Dignitas » autem Patriarchae sicut patris in filios auctoritatem » habet. »

Profecto episcopo Seleuciensi, ut provinciae Babylonensis metropolitano jus tantummodo competebat episcopos suae provinciae confirmandi ac consecrandi. Dato autem quod is *catholicatus* seu *primatus* dignitatem legitima ac canonica via sit adeptus, consequitur tantum, eum, praeter provinciae Babylonicae episcoporum confirmationem et consecrationem, jus habuisse etiam metropolitas (non autem episcopos) omnium provinciarum, quae sub Persarum regno erant, confirmandi ac consecrandi. Quod jus etiam quoad nonnullas illius regni provincias jam ab ipso primordio Nestorianae historiae illi disputatum est. Seculo enim V°. Barsauma episcopus Nisibenus metropolitae Seleuciensi jam ad *catholicatus* dignitatem evecto, teste Benattibo in *Nomocanone* (4), Me-

(1) Cod. XXIX. pag. 146.
(2) Apud Majum loc. cit. pag. 301.
(3) Ebed. Sob. *tract.* 9. *n.* 5. apud Majum pag. 327.
(4) Cod. XXIX. pag. 145.

sopotamiae provincias contestabatur. Seculo autem VII°. sub Jeshujabo patriarcha, Persidis provinciae independentiam suam in hac re ab episcopo Seleuciensi propugnabant (1).,

Dato denique quod episcopus Seleuciensis legitima ratione *patriarchali* dignitate auctus sit (quod verum non est, fatentibus ipsis Nestorianis (2) *catholicum* seu primatem Seleuciae auctoritate privata suorum ad Patriarchae altitudinem evectum esse), inde sequeretur tantummodo, illum intra limites sui patriarchatus, eodem jure pollere quoad metropolitarum et episcoporum institutionem, quod ceteris patriarchis ipso antiquioribus atque multo dignitate majoribus in suis patriarchatibus juxta canones competebat, scilicet confirmandi et consecrandi episcopos provinciae patriarchalis, nec non et omnes ac solos metropolitas sui patriarchatus. Jam vero manente adhuc eadem hypothesi, quod scilicet Seleuciensis episcopus legitima auctoritate ecclesiastica factus sit patriarcha, neque auctoritas illa quaecumque tandem fuerit, quae ipsi hanc dignitatem contulisse dicitur, neque generalis ratio ecclesiastici regiminis ferebant ut episcopus Seleuciensis suam patriarchalem jurisdictionem ad totum terrarum orbem extendere conaretur, ut patriarcha oecumenicus evadere studeret, ut multo ampliorem haberet jurisdictionem quam plerique patriarchae ipsi, qui feruntur illi dignitatem patriarchalem contulisse; quae omnia episcopi Seleucienses moliri coeperunt, ex quo nestorianismi summitatem occuparunt. Etenim, ut omittamus rationem ecclesiastici regiminis, quae nimis evidens est, synodus illa episcoporum *occidentalium* quae dicitur titulo patriarchae episcopum Seleuciensem ornasse, sic in supposititia epistola, actum illius collationis continente, fertur dixisse (3): « Ipse » (*idest* episcopus Seleuciae et Ctesiphontis) consecrabit NNN

(1) Vid. Assem. *Bibl. Or.* t. 3. p. 1. pag. 127.

(2) Vid. locum citat. sub littera **GGG**.

(3) Cod. XXVII. pag. 217.

» episcopos totius Orientis (1) et ultra, regionis Assyriae, Mediae et Persidis. » Atqui patriarcha Nestorianus hos limites cito praetergressus est, cum suae jurisdictionis potestatem ex una parte extenderit ad Indias, Tartariam, Sinas adjacentesque regiones, ex altera ad Syriam, Palaestinam, Cyprum, etc. (2).

Ex his omnibus evidentissime liquet, patriarcham Chaldaeorum Nestorianorum jurisdictionem illam in episcoporum institutione aliisque ecclesiasticis negotiis non qua patriarcham exercuisse, sed qua summum Nestorianorum pontificem. Jure igitur merito asserimus, Chaldaeis Nestorianis testibus, Summo Ecclesiae Pontifici jus competere in omnium episcoporum orbis institutione partem suam habendi, saltem per eorum electionis confirmationem.

Post haec sic ratiocinamur: Si Nestoriana falsa ecclesia in suo summo capite tum jure tum facto agnovit jus suam supremam partem in episcoporum institutione habendi, quid dicendum erit de catholica Ecclesia, quae verae unitatis sola archetypum praefert, cujusque caput, ipsis haereticis fatentibus, jure divino habet fastigium totius ecclesiasticae potestatis?

Liceat adhuc insistere et interrogare: Si Nestoriani non dubitarunt suae sectae summo antistiti, qui revera nonnisi simplex metropolita erat, cui an primatialis dignitas legitime sit concessa, incertum est, patriarchalis autem auctoritas placito privato est data, plenam potestatem in episcoporum institutione aliisque ecclesiasticis negotiis ultro admittere, quid (pudet nos hujusmodi instituere similitudines, sed rerum conditio ad id nos cogit) quid facere non debent Catholici, cujus summus sacerdos est successor B. Petri Apostolorum principis, super quem fundata est Ecclesia, cuique munus pascendi agnos et oves a Christo collatum est?

(1) *Oriens* in ore Syro-Chaldaeorum significat illam Romanorum Orientis partem, quae a fluminis Euphratis ora sinistra usque ad Persidem extenditur.

(2) Vid. Assem. *Bibl. Orient.* t. 3. p. 2. pag. 706.

Nempe pro Chaldaeis, dum nestoriani sunt, summus pontifex (etsi falso) est patriarcha Seleuciensis; sed simul ac catholicum ingrediuntur ovile, patriarchae Seleuciensis illegitimus primatus cessat, locumque Romano pontifici cedit. Eccur quae potest Nestorianorum supremus pontifex cum Nestorianis, non potest Catholicorum summus sacerdos cum Catholicis? Cur illam auctoritatis potestatem, quam in Indiis, in Turcomania, in Tartaria, in Sinis, in Palaestina, in Cypro patriarcha Nestorianorum exercere potuit, non potest in Assyria et Chaldaea et ubique locorum exercere Catholicorum summus pontifex, a cujus concessione, fatentibus ipsis Nestorianis (1), auctoritas primatis illarum regionum originem habuit?

Age vero etiamsi patriarchalem sedium, quas vocant, apostolicarum institutionem apostolicam originem habuisse concedatur, quod non adeo certum est, hunc honorem profecto nonnisi duo ex hodiernis patriarchatibus post Romanum possent sibi vindicare, inter quos nullam habent partem tum Syri tum Chaldaei. At quidquid sit de patriarchatus antiqui origine, numquid auctoritas divinitus instituta ab institutione humana limitari potest? Aut numquid credi potest, Ecclesiam ideo patriarchatum instituisse, ut sui supremi Capitis potestatem aequilibraret?

Et ut ad argumentum nostrum propius accedamus, quaerimus: Si apud Nestorianos schismaticos omnis sacerdotalis potestas ab uno tum jure tum facto emanare debet, anne Catholici e contra, apud quos solos est verus omnis sacerdotii et potestatis spiritualis fons, plures idest tres, quatuor, quinque et etiam amplius habere debent, saltem de facto, principes sacerdotii patres? Etenim Ecclesia catholica sine patriarchis optime subsistere potest; namque ne longius eamus, tempore concilii Tridentini nullus catholicus patriarcha proprie dictus in Ecclesia existebat. At potestne Ecclesia catholica sine summo

(1) Vid. loc. sub littera GGG.

pontifice existere? Ipsi etiam Nestoriani nobis testes sunt Ecclesiam posse sine patriarchis subsistere. In eorum enim secta, quae pro iis erat vera et sola et tota Ecclesia, unus tantummodo existebat, qui simul et caput totius gregis et patriarcha habebatur; neque per tot secula umquam crediderunt ii se patriarchis indigere, vel cogitarunt suam ecclesiam mancam esse quia patriarchis carebat.

Denique si illis qui extra veritatem sunt haud excessivum visum est temperamentum, quo statuitur ut singuli novi episcopi teneantur coram suo summo capite sistere, ab eoque confirmationem, si merentur, accipere; eritne pro Catholicis excessivum, ut episcoporum Princeps saltem eorum nominationem seu electionem scitu suo ratihabeat et consolidet? Uno verbo, si schismaticae sectae ducibus, ut temporum necessitatibus providerent, licuit Ecclesiae disciplinam pro illius majori bono aliquantulum immutare, eritne id extra facultatem summi pontificis Ecclesiae catholicae? Etenim Catholici solent schismaticos Orientales docere, Ecclesiae leges disciplinares posse pro temporum necessitatibus mutari, suspendi, abrogari, etc. Et tamen audiant nunc Catholici nostri quomodo Nestoriani ipsi hanc veritatem profitebantur in synodo sub Georgio patriarcha anno 677 habita, ubi in prooemio sic patriarcha cum suis episcopis locutus est (1): « Exigit omni tempore mutabilitas et nimia hominum » infirmitas, ut secundum rerum conditiones quae in » singulis populis singulisque locis eveniunt, quasque » temporis volubilitas inducit, illi qui a divina gratia » sacrati sunt ad regendas eorum animas, satagant ipsis » cum omni diligentia opportuna praebere remedia, tum » verbotenus tum scriptis quae pro futuris temporibus » requiruntur ad memoriam magis juvandam. Itaque » nos etiam... considerantes nonnullas esse rerum hujus » temporis conditiones, quae exigunt ut istis populis

(1) Cod. XXVII. pag. 513.

» Christi amantibus quaedam nova reddantur per institutionem opportunarum legum, quae earum observatores custodiant, » etc. Vide quomodo ipsi Schismatici fateantur, Ecclesiae leges debere temporibus accommodari.

Et haec satis sint ad demonstrandum ex Nestorianorum testimonio, Summo Ecclesiae Capiti jus competere partem supremam habendi in institutione omnium et singulorum orbis episcoporum. Quo quidem jure is modo implicite utitur, idest metropolitis et patriarchis ope episcoporum suffraganeorum curam electionis confirmationisque pastorum deferendo, quemadmodum res passim se habuit prioribus Ecclesiae seculis; modo explicite, sibi reservando facultatem personam electam confirmandi atque sive per se sive per alios ordinandi, quemadmodum Nestorianae sectae Caput sibi competere credidit inde ab huius haereseos exordiis.

Quod attinet ad alteram familiae Syrochaldaicae sectam, Monophysitarum inquam, qui et Jacobitae a Jacobo Baradaeo nuncupantur, fatemur illos in hac re de qua agimus non adeo plenum nobis praebere argumentum, tum quia ii non habuerint satis explicatum jus sicut eorum antagonistae Nestoriani; tum quia iidem suum gregem jam in ipso primordio in duas diviserint sectiones, quarum alteram occidentalem patriarcha, alteram orientalem maphrianus seu primas regebat; uterque autem jura metropolitica in suos singillatim exercebat (1).

(1) Jacobitarum secta, utpote inter confusionem, tumultus et perturbationes, nec non imperatorum Graecorum inquisitiones nata, quas post non multum Mohammedanorum durissimum jugum excepit, numquam potuit perfectae societatis ecclesiasticae illam formam praeseferre, quam prior Nestorianorum secta, propitioribus adjunctis nata, mirifice habere potuit; quamquam illius patriarcha de facto non minorem quam hujus semper exercuit in suos potestatem. His iisdem quoque causis adscribere oportet aliud singulare factum de quo pag. 37. locuti sumus, quod scilicet Syri, Aegyptii, et Armeni, licet eadem fere monophysismi labe infecti, numquam in unam potuerint coalescere societatem ecclesiasticam.

GENERALES CONSIDERATIONES

Haec, quae hactenus exposuimus, apprime sufficiunt, ni fallimur, ad demonstrandum luce meridiana clarius, Syrochaldaeos, etiam in schisma lapsos, eandem supremae auctoritatis divinitus institutae, qua Ecclesia regitur, notionem, easdem circa jura ex eadem institutione illi auctoritati competentia traditiones habuisse, ac quas Ecclesia catholica semper professa est et profitetur. Nunc autem liceat mihi sequentes notare animadversiones, ad instar corollarii totius hujus articuli.

I. Haec omnia, quae praecedentibus paragraphis ostendimus, ex jure apud Schismaticos nostros praesertim vero Nestorianos recepto, summo utriusque sectae capiti competere, non erant, ut ajunt, littera mortua, sed usu quotidiano apud illas nationes semper viguerunt, vigentque adhuc, meliori qua fieri possit ratione quae extremi declivii statui, in quo illae nationes impraesentiarum misere gemunt, convenire potest. Patriarcha enim singularum illarum duarum nationum habetur adhuc a suis ut supremus et universalis pater omnium, et episcoporum et clericorum et laicorum, qui eandem profitentur communionem. Attamen tum defectus praecisionis quo in pluribus capitibus jus quod adhibent, laborat, tum aerumnae calamitatesque innumerae quibus undique circumferuntur, tum denique humanae varii generis cupiditates saepe saepius causa sunt, ut patriarchae praedicti suprema potestate qua se ornatos esse putant, probrose abutantur, eamque in veram tyrannidem degenerare faciant, adeo ut eorum asseclae, quos divina gratia ad meliorem frugem invitat, se a gravissimo jugo per ingressum in Ecclesiam Catholicam liberatos esse feliciter sentiant. Si enim hierarchia catholica principali decore sublimique ac regali magnificentia communiter re-

splendet, Schismaticorum nostrorum duces indiscreta dictaturae cupidine abjectaque tyrannide ut plurimum distinguuntur. Illic paternitas cum imperio mirifice conjungitur, hic vilis cupiditas a dominatione raro separatur.

2. Interim liceat considerare, quantum hoc unitatis seu *concentrationis* principium, quod Schismatici nostri ex Ecclesiae sinu egredientes, ab ea mutuati sunt, eos juverit. Hac enim potentissima unitatis arce muniti, vitam aliqualem per secula ducere; destructionem, quae omne aedificium fundamento carens imminet, vitare; aliquo tempore luxuriem quandam ostentare; omnem denique scissionem et divisionem, vix natam extinguere potuerunt. Non propria igitur et intrinseca, quam non habebant, nec habere poterant, virtus; sed principium catholicae unitatis quod sibi applicarunt, licet illius puritatis indigni essent, vitam et salutem quamdam illis impertita est; quemadmodum Sol ubicumque oritur, suam producit vivificam actionem, etiamsi immunda ejus radios loca recipiant.

3. Ex his omnibus quae superioribus paragraphis disseruimus, luce meridiana clarius constat, Syrochaldaicos populos, quamquam haeresi infectos, omnia fere jura quae juxta catholicae doctrinae veritatem Summo Ecclesiae Pontifici competunt, tum jure tum facto agnoscere; inde autem fit, quod cum Nestoriani et Jacobitae ad Ecclesiae sinum redire velint, quoad hoc supremae auctoritatis caput, nonnisi *subjectum* in quo illud resideat, immutare debeant, manente ejusdem *objecto* quod tenent fere integro. Nunc autem admiratione quadam commoti quaerimus: Si Nestorianorum caput immediatam universalemque auctoritatem ultro libenterque a suis credebatur habere in omnes et singulos homines cujuscumque nationis et loci qui nestorianismum profiterentur, sive essent episcopi, sive clerici, sive laici, qui fit ut eadem saltem auctoritas Summo Catholicorum Pontifici in omnes qui catholicismum profitentur possit a catholicis ipsis denegari? Cur cum diversitas populorum et regionum non potuit unius, licet illegi-

timi, potestati limites ponere, alterius tamen, qui jure divino imperat, debeat antiquissima jurisdictio quibusdam circumscribi limitibus atque conditionibus? Cur qui nestorianismum amplectebantur, absolute et sine ulla conditione illum tenebantur suscipere; at qui catholicismum amplecti velint, circumspectione quadam debent in ipso admitti et retineri, ne eorum videantur laedi libertates? Cur Nestorianorum Patriarcha antiquos Ecclesiae canones habita ratione temporis (קק) potuit, licet legitima auctoritate carens, mutare; et Romanus pontifex, qui omnibus patriarchis superior est, idipsum non poterit? An quia nestorianismi supremus Dux sine patriarcharum praesidio gregem suum universum per dissitissimas regiones dispersum regere, gubernare, dominari se posse credebat, nullumque in suae potestatis exercitio sibi superiorem praeter Deum, neque ipsum concilium, agnoscebat (**DDD, XXX**), catholicitatis sublime Astrum tenetur regulas ab inferioribus excogitatas necessario observare? Ad hominem, ut ajunt, argumentum dirigimus; ut videant illi qui e nestorianismo vel jacobitismo (nam nolumus limites a nobis ipsis in hoc opere circumscriptos transilire) ad catholicam unitatem veniunt, qua ratione in verae Matris sinu se gerere debeant; ne hic, ubi ordo, jus et veritas radicaliter regnant, sibi eam reclamare praesumant libertatem, quam illic habere non potuerunt, ubi usurpatio, error atque incertitudo resident.





APPENDICES



APPENDIX I.

De Summi Pontificis auctoritate habita ratione Patriarchatuum Chaldaeorum, Syrorum, atque Maronitarum.

Istam nacto occasionem, liceat mihi iis quae de antiquissima hac quaestione, quae nostris diebus novam acquisivit gravitatem, supra sparsim dixi, sequentia addere.

Et, ut ad rem sine mora veniam, ex omnibus iis quae supra vidimus patet, Nestorianorum patriarchatum nullam in sua institutione legitimam originem ecclesiasticam posse sibi vindicare, cum ipsi Nestoriani fateantur a majoribus suis post suam ab Ecclesia separationem episcopo Seleuciensi dignitatem patriarchalem privata auctoritate datam fuisse. Ex quo evidenter consequitur, recentiorum CHALDAEORUM patriarchatum, Babylonensem appellatum, quem hi inde a sua cum Ecclesia Romana unione, seculo XVII inita, in Ecclesia catholica rite habent, nequaquam ab illo Nestorianorum patriarchatu derivari; vel propter ipsius tituli differentiam, cum Nestorianorum summus antistes *Seleuciae et Ctesiphontis* aut *Orientis* patriarcha nuncuparetur, numquam vero Babylonis titulum assumpserit. Debet igitur Chaldaeorum catholicorum novus patriarchatus ab altiori sanctiorique origine repeti, nempe ab apostolica institutione, ob meram Romanorum pontificum in Chaldaeos recenter conversos benevolentiam radicaliter facta. Cum itaque patriarchatus hic Babylonensis sit spontaneus et immediatus Apostolicae Sedis fetus, speciale hujus Sanctae Sedis gratiae et sollicitudinis argumentum jure sibi vindicare debet; ipsaque Sedes Apostolica hoc peculiari titulo jus habet in eodem patriarchatu illas instituere ordinationes ac dispositiones,

quas sua notissima sapientia et materna pietas sibi suggerunt, quasque scit ad majorem illius nationis spiritualem utilitatem conferre (1).

Quod attinet ad alterius familiae Syrochaldaicae patriarchatum, idest SYRORUM *Jacobitarum*, qui Antiochenus vocatur, liceat nobis animadvertere, illum, considerata ejus origine et ratione qua natus est, nullum omnino habere potuisse jus legitimum, cum toto eo tempore quo Syri monophysismo infecti erant, verus ac legitimus patriarcha Antiochenus ille erat solus, quem Ecclesia catholica agnoscebat, quique usque ad seculum XI. quo Photianum schisma in Oriente consummatum fuit, patriarcha Melchitarum erat. Exinde patet, alterum Antiochenum patriarcham, a Jacobitis auctoritate privata contra legitimum catholicum patriarcham constitutum, legitimum non fuisse; nam unam eandemque sedem vetant ecclesiastici canones a duobus occupari episcopis, statuuntque jus catholici antistitis non posse per factum schismatici hominis destrui. Sane Antiochenus recens patriarchatus Jacobitarum, a Severo monophysita, qui seculo VI eum arripuit et aliquo tempore occupavit, derivatur. Atqui hic Severus, testibus ipsis Schismaticis (מ), a Sede Apostolica excommunicatus est; cumque illi per legitimam Catholicorum electionem Paullus successisset, Jacobitae post Severi mortem auctoritate privata patriarcham, quemdam Sergium, a quo series suorum patriarcharum incipit, sibi crearunt. Cum autem Syri Jacobitae ad catholicam Ecclesiam superiori seculo reversi sunt, secum in illam afferre non poterant quod non habebant, idest legitimum patriarchatum. Ideoque quem ii nunc habent patriarchatum, mera Sedis Aposto-

(1) Cave inde inferas, nos sentire Romanos pontifices eandem supremam auctoritatem non posse exercere etiam in illos patriarchatus, qui apostolicam idest ab Apostolis ipsis derivatam originem habere creduntur. Contrarium enim tota ratio nostrae elucubrationis luculentissime demonstrat.

licae auctoritate per novam ac radicalem institutionem fundatus esse dicendus est; propterea ipsa Apostolica Sedes hujus Syrorum a se constituti patriarchatus, utpote suae creaturae, specialem gerere curam, eumque peculiaris benevolentiae argumentis prosequi, atque in eo illas facere dispositiones, quas pro ejus majori bono opportuniores crediderit, pleno jure censenda est (1).

Post ea quae superius de Chaldaeorum patriarchatu, et hic de Syrorum disseruimus, reliquum est ut aliqua etiam dicamus de tertiae familiae Syrochaldaici generis patriarchatu, inclytae inquam MARONITARUM gentis quae postremis tribus seculis magnum communi Syrochaldaeorum nomini splendorem sub multis titulis contulit. Quo autem tutius possimus aequum de hujus nationis patriarchatu judicium ferre, juvat ante omnia ejusdem originem paucis praelibare.

Equidem illustris Maronitica gens semper cara mihi fuit, magnaque omni tempore et aestimatione et veneratione eam prosequor. Imo laetor, quod spectatissimorum virorum qui in ea hac nostra aetate florent, amicitiam colo. At hoc, quin me ad veritatem dissimulandam inducat, magis impellit ut sincere et sine affectatione sententiam meam circa hujus gentis originem aperiam, diserteque dicam, me cum clarissimo hujus nationis luminari J. S. ASSEMANO, sacrae orientalis litteraturae incomparabili principe, non posse convenire, ubi in *Bibl. Or. t. 1. pag. 506 et seq.* serio contendit suam gentem, secus ac ceteras Syrochaldaici sanguinis familias, nunquam a communione Ecclesiae catholicae separatam extitisse. Imo valde me admiratione moveri fateor, cum video tantum virum, ceteroquin omni laude superiorem, hujusmodi sententiam potuisse tueri, nullo suffultum solido argumento, contra fidem tot antiquorum testium, maxima ex parte oculatorum, TIMOTHEI inquam I. patriarchae

(1) Confer praecedentem notam.

Nestorianorum (1) ex Chaldaeis *(seculo VIII.)*, S. JOANNIS DAMASCENI (2) ex Melchitis Graecis *(sec. VIII.)*,

(1) Inter epistolas hujus eximii patriarchae, quae in Cod. XXVII. de Propag. exstant, *pag.* 613. incipit 43ª. epistola, ad monachos S. Maronis inscripta, in qua auctor, postquam illos monachos, qui ad ipsum scripserant unionem cum ipsius ecclesia petentes, laudibus ob pietatem, religionisque zelum cumulasset, unitatis excellentiam celebrasset, se ad eos recipiendos paratum esse declarasset, denique fidem Nestorianam fusiori calamo exposuisset, videlicet duas esse in Christo naturas, duas personas, unam voluntatem, unamque operationem juxta Nestorianorum haeresim totis viribus defendisset, venit tandem ad ponendas conditiones, sub quibus illos monachos in suam communionem se recepturum affirmabat. Ex quibus omnibus et ex tenore totius epistolae colligitur, illos monachos 1°. in Christo unam professos esse personam; 2°. duas admisisse in ipso naturas; 3°. in Doxologia tamen recitanda appendicem illam *Qui crucifixus es pro nobis* apponere solitos fuisse; 4°. denique quoad Christi voluntates et operationes eandem sententiam ac Nestorianos tenuisse, scilicet in Christo esse unam voluntatem, unamque operationem. Etenim pag. 626. ait. « Neque nos, » sicut nonnulli blasphemant, in duas voluntates, operationes, et pro- » prietates Filium Dei dividimus... Relinquamus qui haec asserunt in » haereticorum atriis, ubi purpura se coronant. » (Alludit ad Curiam Constantinopolitanam, ubi in Concilio VI. oecumenico definitum est dogma duarum voluntatum, duarumque operationum). Profecto nisi hic patriarcha illos monachos, quos ceteroquin valde blanditur, monotheletas esse compertum haberet, non tam acriter in Dyotheletas invectus esset. Confirmatur hoc ex eo quod cum pag. 657. exponere susciperet illis monachis quid ipsis agendum esset ut suam communionem mererentur, exegit quidem 1°. ut profiterentur duas esse in Christo personas; 2°. ut dicere cessarent SSmam Mariam Virginem esse Deiparam; 3°. ut appendicem ex Doxologia expungerent; 4°. denique ut rejecto Cyrillo, reciperent Nestorium, Theodorum et Diodorum: at ne verbum quidem fecit de admittenda una in Christo voluntate, pro qua paulo ante tam acriter pugnaverat, sicut nec de dicendis duabus in Christo naturis, utique quia sciebat in his duobus capitibus illos monachos secum convenire.

(2) Res observatione dignissima: quod cum Maronitae eosdem fere habeant libros liturgicos ac Jacobitae, discrepent tamen ab his in una tantum re, quae praecise ad S. Joannem Damascenum attinet. Etenim Jacobitis ac Maronitis eadem prorsus est liturgia pro celebrando missae sacrificio; idem fere ritus pro administrandis sacramentis baptismi, poenitentiae, matrimonii, ordinis, pro dandis variis benedictionibus, et similibus; iidem fere libri pro publico cultu Deo

SEVERI *episcopi Ashmoneorum* (1) ex Syro-Coptis *(sec. X.)*, EUTYCHII *patriarchae Alexandrini* ex Mel-

persolvendo, eodem fere ordine digesti, constantesque iisdem partibus, *propsalmis, metapsalmis, diapsalmis, responsoriis, hymnis, canticis, canonibus, orationibus,* ceterisque omnibus, quae non vacat hic nativis nominibus designare, multoque minus describere. Attamen singularissimum est, quod cum Jacobitae inde a seculo VIII°. *Canones* quos vocant *Graecos,* a S. Joanne Damasceno compositos, in Syriacam linguam converterint et in suam liturgiam induxerint, Maronitae numquam hos *Canones* agnoscere voluerunt, quamquam ii non renuerint in suis liturgicis libris admittere hymnos et cantica Jacobi, episcopi Edesseni doctoris Jacobitae, qui minus quam medio seculo Joannem Damascenum aetate praecesserat. Hujus rei singularis ratio consistere nequit nisi in hoc, quod Damascenus videtur in suis scriptis parum pepercisse Maronitis, utpote qui omnium sectarum orientalium recentissimi ac ipsi vicinissimi erant, immo sub ipsius oculis continuo versabantur. Etenim inter alia in epistola ad Jordanem *n. 5.* ait: *Εἰ γὰρ εἰς τὸν υἱὸν μόνον τὸν τρισάγιον φήσομεν ὕμνον, λέλυται τὸ ἀμφίβολον ἀνενδοιάστως, καὶ ἡμεῖς μαρωνίσομεν, προσθέμενοι τῷ τρισαγίῳ τὴν σταύρωσιν. ἀλλὰ μὴ γένοιτο διὰ χειλέων τοῦτο ἄγειν.* « Si ter sanctum hy-
» mnum de Filio solo dicamus, omnis prorsus sublata est ambiguitas,
» atque cum Maronitis Trisagio crucifixionem adjicimus. Verum absit,
» ut vel labiis hoc usurpemus. » Etiamsi concedatur id quod Assemanus in *Bibl. Jur. Orient. tom. 5. pag. 506.* contendit, nimirum Damascenum adhibuisse verbum *παροινήσομεν (tamquam ebrii delirabimus)* non vero *μαρωνισομεν (cum Maronitis sentiemus),* stat semper firmum, Maronitas, qui *appendicem* Trisagio indubitanter apponebant, tamquam heterodoxos a Damasceno habitos fuisse, qui hanc appendicem et illos qui eam adhibebant, tantopere condemnabat. Audiamus etiam alterum J. Damasceni testimonium in libello *de recta Sententia n. 8* prolatum, ubi postquam orthodoxam fidem ample exposuisset, sic concludit: « Et
» juro per S. consubstantialem, et adorandam Trinitatem, absque omni
» dolo et fraude me ita sentire, nec aliud quidpiam praeter illa admit-
» tere, nec me communicaturum cum altero, qui fidem hanc non confitea-
» tur, ac praesertim cum Maronitis *ἐξαιρέτως Μαρωνίταις.* » Uno verbo aut Maronitae soli erant seculo VIII. in patriarchatu Antiocheno catholici, ut passim cl. Assemanus asserit (ex. gr. *Bibl. Or. t. 1. pag. 503 in nota*), et tunc J. Damascenus, qui certe non erat Maronita, catholicus dici non posset; aut sola Ecclesia quacum J. Damascenus communicabat, catholica erat, et tunc quid dicendum de Maronitis, quorum communionem ipse recusabat?

(1) Hic auctor monophysita, in opere quo refellit varias consuetudines quas sectae Christianae sui temporis tenebant, inter cete-

chitis *(seculo X.)*, DAVID *Episcopi* (1) ex ipsis Maronitis *(sec. X.)*, WILLELMI TYRII ex Latinis *(secu-*

ras commemorat Maronitarum sectam, ut distinctam a Jacobitis, ab Armenis, a Melchitis et etiam a Latinis seu Catholicis (V. Cod. Vatic. Syr. 159. fol. 140 *recto*).

(1) Hic antistes Maronita ex Syriaca lingua in Arabicam stylo eleganti an. 959 vertit Nomocanonem, a quodam «Patre Sancto» compositum juxta suae gentis statuta. Hujus operis exemplar pretiosissimum extat in insigni Bibliotheca Vaticana sub *n. 133 Syr.* Auctor postquam fidem in Trinitatem, atque in Incarnationem summatim exposuisset, haec *fol. 22* profert: « Non credimus, eum *(idest Christum)* esse duos; » neque duos Christos *(confitemur)*, nec duas personas, aut *duas voluntates*, aut *duas operationes (ei tribuimus)*. Absit hoc ab eo. » Deinde *(fol. 25 verso)* postquam diversas christianas sectas enumerasset, pergit: « Tum Maronitica, quae originem habet a Marone Joanne patriarcha magnae Antiochiae... Hae quatuor sectae *(hac ratione)* affirmatae sunt. Porro Melchitarum et Maronitarum sectae, de quibus » locuti sumus, sunt una secta, atque unam eandemque tenent sententiam circa unionem *(Verbi)*, circa naturas, ac personalitatem. » Solum circa voluntates discrepant, cum Melchitae duas profiteantur voluntates, *Maronitae autem unam voluntatem.* » Hic codex, anno Chr. 1402 in monte Libano exaratus, habet ad calcem varias epigraphes et notas, ex quibus constant nomina variorum Maronitarum inter episcopos, presbyteros, diaconos et alios, qui vel codice vel ipso opere usi sunt; nec non notatur etiam nomen *patriarchae Maronitarum*, cujusdam Joannis ..., sub quo codex exaratus est.

Nescio an Assemanus, cum sententiam suam quam perpendimus, scripto tradidit, hunc codicem viderat. Unum scio, illum in duabus suis *Bibliothecis* ne verbum quidem de isto codice vel opere in ipso contento facere. Certo certius est, quod si doctissimus vir hoc Vaticanum monumentum vidisset, quo tempore suas Bibliothecas scripsit, sententiam omnino mutasset.

Antequam hunc Maronitarum Nomocanonem dimittam, juvat pro rerum antiquarum curiosis animadvertere, 1°. Hunc auctorem, ubi agit juxta statuta *Maroniticae gentis* de fide, de hierarchia, de ecclesiastico regimine, nullam mentionem facere Ecclesiae Romanae, vel Romanorum pontificum!!! Imo eum asserere, nullum patriarcham in alterius patriarchae provincias potestatem posse habere. 2°. Eum in capite *De Ablutionibus* inscripto *(a fol. 53.)* serio et multis argumentis *contra omnes christianas sectas* propriam suae gentis disciplinam demonstrare conatur, in religione scilicet christiana corporis ablutiones religiosas necessarias esse, orationemque sine praevia ablutione corporali illicitam esse!!! Nonne hoc explicat quod in

lo XIII.), BARHEBRAEI maphriani (1) ex Syris Jacobitis *(sec. XIII.)*, BENASSALI celebris canonistae (2) ex Coptis *(sec. XIII.)*, AMRI MATTHAEI (3) ex Chaldaeis *(sec. XIV.)*, aliorumque (4); et, quod omnium gra-

Chronicis S. Francisci *lib. 3. p. 3.* refertur de superstitiosis Maronitarum illius temporis moribus? 3°. Ubi loquitur de Eucharistiae sacramento, eum *(fol. 45.)* expresse praescribere, ut panis eucharisticus non sit « azymus, sed bene fermentatus. »

(1) Injuriosum est huic tanto viro, adeo, teste ipso Assemano, in rebus investigandis accurato, asserere eum quae de Maronitis in suis scriptis refert (V. Assem *B. O. t. 2. pag. 293*), nulla certa scientia comperta habuisse, sed ex Eutychio Alexandrino ea transcripsisse. Etenim cur nihil aliud quam hanc de Maronitis relationem ab illo Melchita auctore transcripsisset, cum inter ceteras utriusque narrationes historicas non leve intercedat discrimen? Cur Maronis monachi fabulam, ut ipse Assem. eam vocat, Barhebraeus ex Eutychio non transcripsit? Deinde eo ipso quod Assemanus Barhebraei fidem Willelmi Tyrii auctoritate labefactare tentat, hujus auctoritatem affirmat. Inde enim sequitur, verum esse quod Willelmus narrat, nempe Maronitas seculo XII. ad catholicae Ecclesiae sinum reversos esse. Ceterum nulla contradictio inter Willelmum et Barhebraeum. Nam etsi sub horum priore maxima pars Maronitarum conversa esse dicitur, sine dubio tamen nonnulli adhuc remanebant non conversi usque ad Barhebraei tempus, immo usque ad sec. XV^m. quo Eugenius IV. Pont. Max. multorum Maronitarum conversionem excepit. Vid. quae infra dicemus. Denique cur Barhebraeo Assemanus fidem praestat cum is historiam Theophili Antiocheni Maronitae *solus* narrat (V. *Bib. Or. t. 1. pag. 521.*), eam tamen illi denegat cum de Maronitis tradit id in quo tot auctores cum ipso concinunt?

(2) Hic (apud Renaudaut. in *Hist. Patr. Alex. pag. 149*) expressis verbis refert Maronitarum gentem nuper ad Francorum religionem transiisse.

(3) Hic auctor, Eutychium Alexandrinum secutus, passim nomine *Maronitarum* designat *Monotheletas* quoscumque, quemadmodum Eutychio ejus exemplari idem sonat *Melchitarum* nomen ac *Orthodoxorum* seu *Catholicorum*. Ceterum nihil hic notare credidi de Eutychio Alexandrino et Willelmo Tyrio, quorum testimonia nimis nota sunt, ut commentariis indigeant.

(4) His accensendus est auctor *Catechismi* (seu potius *Apologiae*) *Jacobitarum*, de quo confer Assem. *Bibl. Or. t. 2. pag. 67.*, quique longe post adventum Francorum in Orientem compositus est. Auctor hujus operis, de cujus authentia immerito dubitavit Renaudotius in *Lit.*

*

vissimum est, contra incontestabilem adeo et irrefragabilem auctoritatem Romanorum pontificum INNOCENTII III. (1) et EUGENII IV. (2) qui Maronitarum re-

Or. t. 2. pag. 23. n. 36, cum illud videre non potuit, satis acriter in Melchitas, at multo magis in Maronitas invehitur, eo quod (ut ait) cum hi Syri essent, eamdemque liturgiam cum Syris Jacobitis haberent, in fide tamen ab iis discreparent. Satis tamen clare ostendit in quo Maronitae et a Melchitis et a Jacobitis discrepabant; ait enim *(Cod. Vat. Syr. 424 fol. 65.)*: « Populi noluerunt fidem tenere, donec vos, » o Maronitae, dixistis.... duas esse naturas, duas substantias, duas » personas, unam voluntatem ; nonnulli etiam ex vobis dixere duas » voluntates; » intelligit illos qui Francos seu Latinos secuti erant. Ceterum cum auctor hic monophysita cum sua secta unam esse in Christo voluntatem teneret, haud mirum est si pro acerrimo odio quo Maronitas prosequebatur atque vehementi cupidine qua causas illos redarguendi per fas et nefas invenire studebat, duarum in Christo voluntatum sententiam ut magnam haeresim aliquibus ex iis impegerit; quemadmodum etiam duarum personarum opinionem illis tribuit, ex eo quod duas confiterentur naturas, cum nostri Syri et Chaldaei schismatici nolint distinguere naturam in Christo a persona. Denique *fol. 78.* absolute ait: «dicunt Maronitae (*in margine* et Franci) » duas naturas, duas personas, et voluntatem unam.» Profecto nisi hic auctor. compertissimum haberet Maronitas unam in Christo admisisse voluntatem, id haud confessus esset, cum hoc in ipsius mente illis faveret.

(1) Innocentius III. in litteris *Quia divinae sapientiae* ad patriarcham et episcopos nationis Maroniticae datis an. 1207, ita eos alloquitur *(Bullar. de Prop. Fid. App. t. 1. pag. 1)*: « Nam cum olim essetis quasi » oves errantes, non recte intelligentes unam exsistere Christi sponsam, » atque columbam sanctam, scilicet Ecclesiam catholicam, unum et esse » verum Pastorem, Christum scilicet, et post ipsum ac per ipsum apo- » stolicum ac vicarium ejus Petrum, etc.... Dudum, transmisso a nobis » ad partes vestras.... apostolicae Sedis legato, conversi fuistis ad pa- » storem vestrum et episcopum Ecclesiarum vestrarum. » Et pag. 2: « Quia vero, ait, praedictus Cardinalis quibusdam intellexit vos pati » defectum illum, in vobis apostolicae auctoritatis plenitudine supplere » curavit, injungens ut.... *duas in Domino confiteamini voluntates, di- » vinam scilicet, et humanam.* » Denique pag. 3 : « Volentes autem, » ait, ... populo tuo *noviter ad obedientiam Ecclesiae Romanae re- » verso* gratiam facere specialem, auctoritate tibi apostolica indulge- » mus, etc. »

(2) Eugenius IV. in constitutione *Benedictus sit Deus* in Lateranensi prosecutione concilii Florentini *(Edit. Justiniani pag. 387)* agens

gressum ad veritatis catholicae Centrum exceperunt. Omitto testimonium vetustorum hujus nationis codicum (1). Denique haud minorem, sententia mea, gloriae laureolam, ut non dicam majorem, contribuimus Maronitarum nationi, vere olim in Oriente inde a sua conversione florenti sicut rosae inter spinas, asserendo eam post tot seculorum obscuritatem (2) diuturnamque ab

de Andrea archiep. coloss. legato apost. ait: « Heliam episcopum Ma» ronitarum, *qui cum sua natione Macarii dogmatibus* in eodem regno » infectus cum omni multitudine populorum et clericorum in insula Cy» pri ei subjecta, ad veritatem fidei orthodoxae... convertit. » Pergit: « Helias vero Maronitarum episcopus, nuncium de fide Rom. Ecclesiae... » solemnem professionem (emissurum) ad nos usque (misit). » Tum refert professionem emissam ex parte Timothei metropolitae Chaldaeorum, et pergit: « Similem per omnia professionem dilectus in Christo » filius Isaac nuncius venerabilis fratris nostri Heliae episcopi Maro» nitarum ipsius vice et nomine, *reprobando Macarii de unica volun» tate in Christo haeresim,* cum multa veneratione emisit. » Hinc eximius pontifex Benedictus XIV. in constitutione *Allatae sunt* §. 5. *(Bullar. Rom. t. 3. pag. 341.)* ait: « Eugenius pontifex, Florentia Ro» mam profectus, legatos etiam regis Aethiopum excepit; ac Syros, » Chaldaeos, *et Maronitas* ad obedientiam Romanae Sedis redegit. » Testibus igitur praesulibus Ecclesiae Romanae, omnes Syrochaldaicae familiae gentes eadem ratione ad obedientiam hujus sanctae Ecclesiae redacti sunt, neque Maronitae prae ceteris suis *connationalibus* Syris atque Chaldaeis possunt in hoc aliquem gloriae titulum sibi vindicare.

(1) Equidem ferri nequit quod Naironus *(de origine etc. Maronit. pag. 112)* de nostris Syris Jacobitis asserit, videlicet eos suae nationis codices corrupisse, ad ipsorum dogmata eos redigendo. Nam si tanto suae fidei zelo Jacobitae ardebant, cur Melchitarum libris magis a suis discrepantibus pepercerunt? cur Nestorianorum, quibuscum per tot secula tam intime intermixti erant, codices intactos reliquerunt? Cur ipsi Maronitae idem suae fidei zelum non ostenderunt erga Jacobitarum codices, eos ad suae orthodoxiae normam corrigendo? Certe Jacobitae nostri inter nationes Orientales, *artem libros alienos adulterandi mirifice callentes,* haud primum occupant locum.

(2) Mirum est, quam parca imo avara sit Historia in referendis antiquitatibus Maronitarum. Sed magis mirandum se reddit cl. Assemanus, cum tantopere insudat ut suae gentis aliquod vestigium per fas ac nefas in antiquis monumentis inveniat. Etenim quod attinet ad *Joannem Bar Frángaje* seu *filium Francorum* quem Ebedjeshous Sobensis inter scriptores suae sectae memorat, quemque Assemanus

Ecclesia catholica separationem, tanto laudabili ardore ad ipsius sinum reversam fuisse, tam arcte illi ex eo tempore adhaesisse, totque omnis generis bonos fructus in illa citissime produxisse, ut quasi diceres illam nationem nunquam extra hunc salutarem sinum vixisse; quam, contra historiae veritatem, contendendo eam omni praeterito tempore cum vera Ecclesia communionem nun-

Bibl. Or. t. 1. pag. 509. pro suo Marone patriarcha accipere nobis suadere vellet, quis, quaeso, nexus esse potest inter Maronem qui non tardius initio seculi VIII. vixisse dicitur, et Francos quorum nomen multo serius in Oriente notum fuit? Deinde nisi velimus dicere Maronem nestorianum fuisse, memorari is ab Ebedjeshoo Sobensi non potuit, cum hic nonnisi auctores juxta suam professionem orthodoxos, idest Nestorianos, recenseat. Quod autem attinet ad ܝܘܚܢܢ ܕܡܪܘܢ *Joannem Maruani*, a Barhebraeo in commentario in *Sapient.* citatum, de quo Assem. *ibidem pag. 510.*, notandum 1°. hunc auctorem monophysitam esse debuisse, alioquin Barhebraeus eum non citasset. 2. Eum esse *Joannem episcopum Maruani* vel *Maru*, urbis Chorasanae, de qua consule Assem. *Bibl. Or. t. 3. p. 2. pag. 762.* Non enim *Joannes Maro* diceretur ܝܘܚܢܢ ܕܡܪܘܢ cum genitivi signo, sed ܝܘܚܢܢ ܡܪܘܢ. Nam mos est apud Syrochaldaeos, ut hoc modo nomen *episcopi* per ܕ genitivi signum regant cum urbis nomine, ad designandum ejusdem in illam Episcopatum. Sic dicitur ex. gr. ܝܘܚܢܢ ܕܡܪܕܐ *Joannes* episcopus *Mardae*, ܝܥܩܘܒ ܕܐܘܪܗܝ *Jacobus* episcopus *Edessae*, ܓܪܝܓܘܪܝܘܣ ܕܢܘܣܐ, *Gregorius* episcopus *Nyssae*, ܝܘܠܝܘܣ ܕܪܗܘܡܝ *Julius* episcopus *Romae*.

Illud quoque praeterire nequeo, quod cum Maronitae tantopere a Jacobitis abhorreant, non dubitant tamen horum opera suo Patri adscribere. Inter scripta enim, quae Assemanus *Bib. Or. t. I. pag. 514 et seq.* dicit Maroni tribui, *Anaphora* quidem fere non est nisi consarcinata quaedam ex variis Jacobitarum *anaphoris* satura, ut eas conferenti facile patebit; eo vel magis quod haec *anaphora* Maronitis illis, qui anno 1594 missale suae gentis Romae primo ediderunt, ignota fuisse videtur, alioquin eam certe non omisissent prae ceteris edere. Quod autem attinet ad librum *de Sacerdotio* et alterum *de declaratione Liturgiae*, quos Abrahamus Ecchellensis duobus abhinc seculis *primus* et *solus* prodidit, sciendum est priorem quidem, idest librum *de Sacerdotio*, non esse nisi tractatum sub eodem titulo a Moyse Barcepha episcopo Jacobita compositum, cujus vetustum exemplar habeo penes me in Codice Sharfiano *a fol. 95.* Alter autem *de Declaratione Liturgiae*, qui fetus est certissimus Jacobi Barsalibaei episcopi Amidensis Jacobitae, fraudem plagiarii, haud satis callidi, nimis evidenter

quam non habuisse. Praesto enim est celebre poetae Arabis (Ibni-luardi) effatum:

لا تقل اصلى وفصلى ابدًا
انما اصل الفتى ما قد حصل

« Ne gloriaris unquam de tua prosapia vel de tuis atavis: vera enim viri gloria est ea, quam ipse per se ac-

prodit. Fol. enim 132 *verso,* loco capituli quo auctor jacobita sec. XII. defendebat usum *panis fermentati* pro conficienda Eucharistia, substituitur aliud capitulum, quo auctor seculi VII. (in quo nulla adhuc controversia de *azymo* et *fermentato* exorta erat) juxta sententiam Concilii Florentini fingitur scripsisse *panem tum azymum tum fermentatum esse materiam sufficientem sacramenti Eucharistiae, at unumquemque debere morem suae Ecclesiae gerere!!! seque ipsos* (idest Maronitas) *una cum Occidentalibus et Armenis redargui quod panem azymum adhibeant!!!* Tum ad tuendam *azymi* validitatem, eadem adducuntur argumenta, quae a Latinis inde a seculo X. contra Graecos solent produci!!! Omitto styli differentiam quae inter genuinum Barsalibaei sermonem et novam secundi auctoris saturam nimis patenter apparet; aliaque. Nimirum duobus proxime elapsis seculis Maronitae principatum litteraturae Syrochaldaicae soli Romae tenebant. At siccine abutitur homo temporanea prosperitate, qua se frui videt?

Ceterum summopere doleo, quod cl. Assemanus, cum in *Bibl. Or. t. 2. pag. 293.* ad fidem Naironi sui gentilis asseruisset, inveniri in antiquo Maronitarum Kalendario (quod quidem Kalendarium ignotum fuisse videtur primis editoribus missalis Maronitarum) nomen Concilii VI. oecumenici Sanctorumque qui eo floruere, doleo, inquam, quod ipse haud voluerit nobis indicare ubinam hujusmodi vetusti Kalendarii codices reperiantur, ut consuli possint. Certe inter tot Syriacos codices qui Romae prostant, nullibi talem codicem datum mihi fuit invenire, sive in Bibliotheca Vaticana, sive in Borgiana Coll. Urb. de Prop. Fide. Quod si Assemanus post Naironum alludere vult ad illud Kalendarium quod a Maronitis cum ipsorum missali Romae anno 1716 impressum est, sufficit notasse 1°. hoc Kalendarium nihil aliud esse nisi Kalendarium Jacobitarum, ex quo suppressa sunt nonnulla ex heterodoxis nominibus, cuique addita fuere hic illic Sanctorum nomina ex Kalendario Romano desumpta, ut ex. gr. S. Brunonis ad 6 Octobris, Omnium Sanctorum ad 1 Nov., S. Ambrosii Doct. ad 7 Dec., etc. — 2°. Ad diem 15 Septem. (ubi in praedicto Kalendario positum est festum *Sex Synodorum*) haberi in Jacobitarum Kalendario *Sex Martyrum* ܕܫܬܐ ܣܗܕ̈ܐ, quod facile mutari potuit in *Sex Synodorum*

quirit » (1). Sufficit ergo Maronitarum inclytae et multae laudis dignae genti haec gloria, quod ea ante omnes Orientales nationes veram Ecclesiam cognoverit ac petierit, quodque per multorum annorum decursum Catholicitatis honorem in Oriente extulerit, solaque inter omnes Syro-chaldaicae familiae progenies eximiarum virtutum et ex-

ܕܫܬ ܡܘܬܒܗܕܘ. Ceterum non intelligo cur Maronitae, si semper fuere catholici, nonnisi Sex Synodorum mentionem facerent, praeteritis ceteris Synodis oecumenicis. Scio Apostolicam Sedem obligare nostros Jacobitas cum catholicam Ecclesiam ingrediuntur, ut commemorationem faciant Concilii IV. oecum. ad significandum se abjurare monophysismum. Eademne ratio se habet cum Maronitis quoad Concilium VI?

(1) Quoniam Assemanus in *Bibl. Jur. Or. t. 5. pag. 515. et seq.* contendit Romanos pontifices suae sententiae suffragari, liceat mihi animadvertere, neminem melius intelligere, quo sensu Romani pontifices affirmarunt Maronitas semper erga Sedem Apostolicam fideles extitisse, quam ille ex ipsis summis Pontificibus qui ultimus omnium Maronitarum laudes celebravit, postremumque de ipsis sermonem habuit. Hic est magnus ille Benedictus XIV. qui postquam variis temporibus Maronitas laudasset, tandem anno 1753 in epistola ad Nicolaum Larcari data, postquam retulisset sententiam Maronitarum, qui asserebant suam gentem nunquam a vera fide deflexisse, sic pergit (in *Bull. Rom. edit. an. 1757. t. 4. pag. 140.*) : « At vero alii » contrarium senserunt; arbitrati nimirum sunt, Maronitas de Mono- » thelitarum schola prodiisse, Maronem eorum caput extitisse, eum- » demque haeresi adhaesisse; atque solummodo anno 1182 ab Aimero » tertio patriarcha Latino Antiocheno Maronitas fuisse ad Romanam » Ecclesiam revocatos. Haec omnia videre est apud *Lexicum univer-* » *sale Gallicum et Latinum tom. 5.* ad verbum *Maronitae,* et apud » magnum Lexicon *Morerii* edit. Parisiensis an. 1747 *tom. 6.* ad ver- » bum *Maronitae,* » etc. Suntne, quaeso, haec verba sententiam Assemani Maronitarumque pro certa habentis, ac, quod multo majus est, eam definientis, ut Revmus P. P. Masaad dignissimus Maronitarum patriarcha infra laudandus post Assemanum autumavit? Ceterum Morerius ad quem Benedictus XIV lectorem remittit, utramque sententiam circa antiquorum Maronitarum orthodoxiam perpendens, rem indecisam relinquit. *Lexicum* autem *universale tom. 4. pag. 1073-4,* utraque sententia exposita, acriter tenet pro ea quam tuemur. Non abs re erit etiam notare, Benedictum haec de Maronitis protulisse, pluribus annis postquam Assemanus, qui honore Cubicularii secreti apud ipsum fruebatur, apologiam Maronis Maronitarumque in *Bibliotheca Orientali* publicaverat.

cellentium dotum exemplar in catholica Ecclesia per multos annos extiterit (1).

(1) Profecto summo pudore me affici sentio, cum me coactum video ad defendendam tanta tenacitate meam sententiam contra doctissimum virum, J. inquam S. Assemanum, cui injuriam faceret qui me illi vellet comparare. Protestor enim, ad hoc molestum onus suscipiendum me tunc solum meipsum induxisse, cum vidi tanti viri auctoritate passim scriptores abuti. Inter quos recensendus est auctor *Annalium Scientiarum Religiosarum,* qui in vol. 12 pag. 90 loquens de Maronitis, tot congessit errores.

Ceterum, quo magis assumpti mei evidentia appareat, liceat omni cum reverentia tanto nomini debita, sequentes meas difficultates proponere contra ea quae clarissimus sacrae litteraturae Syrochaldaicae in Europa parens sparsim in suis eximiis operibus circa Maronitas scripsit (nam et hoc in tanto viro singularissimum est, quod cum ipse tot insumpsisset labores, tantaeque molis insignia volumina ad alienarum gentium illustrandas antiquitates scripsisset, de quibus aeternos meretur laudis titulos, attamen nullum speciale opus voluerit circa suam gentem posteris relinquere, cujus tamen historia tum civilis tum ecclesiastica, fere adhuc ignota, a nemine praeter illum sperabatur digne posse illustrari):

1. Si Maronitae a ceteris nationibus patriarchatus Antiocheni propter orthodoxam fidem quam ipsi soli tenerent, se separarunt, ut Assemanus contendit, ergo Melchitarum Ecclesia heterodoxa erat. Et tunc quid dicendum de sanctis viris, exempli gratia S. Joanne Damasceno, qui communionem cum illa Ecclesia habebant?

2. Qui in Concilio VII. oecumenico vicem tenuit patriarchae Antiocheni impediti, et ille qui in Concilio VIII. oecum. locum occupavit ejusdem Sedis viduatae, numquid Maronitae erant?

3. Compertum est, Maronitas, ex quo apparuere, Melchitarum (qui cum s. Maximo Concilioque VI°. duas esse in Christo profitebantur voluntates) communionem semper vitasse, hosque Maronitis communionem denegasse. Ergo alterutri erant *heterodoxi.* Atqui Assemanus, a sensu communi victus, fatetur Melchitas seculo VIII. fuisse *orthodoxos* (in *Bibl. Jur. Or. t. 5. pag. 500*).

4. Quo argumento demonstratur, Mardaitas, de quibus Theophanes et Cedrenus, eosdem fuisse ac Maronitas? Et quod indicium habetur de eorum religiosa professione?

5. Si Maronitae ex coenobio S. Maronis nomen traxerunt (quod libenter admitto), quae cohaerentia esse potuit inter coenobitas qui solitariam longe ex hoc mundo vitam degere debent et Mardaitas in ferendis armis et belli strenuitate ac rebellione celebratos?

6. Cur coenobium S. Maronis nonnisi seculo VII. nomen *Maro-*

Ex his jam sponte fluit quid dicendum sit de patriarchatu quem hodie Maronitae tenent, videlicet illum nullo modo dici posse ex eo derivari qui a B. Petro Antiochiae fundatus est, non secus ac, ut supra vidimus, res se habet quoad Syrorum et Chaldaeorum patriarchatus. Revera enim antiquus ac legitimus patriarchatus Antiochenus ex eo tempore quo haereses Orientem dilacerarunt, ut supra ostendimus, apud Melchitas conservatus fuit (1).

nitarum suis incolis et sequacibus dedit, cum in ipso seculo V. illud coenobium monachis floreret?

7. Cur ex infinitis coenobiis quae in Oriente existebant, nullum nisi istud S. Maronis nomen religiosae sectae dedit? Nonne haec omnia indicant, illius coenobii incolas propter aliquod in religione caput distinctos fuisse, eo tempore quo nomen illud invectum fuit?

8. Denique si Maronitae cum Ecclesia Romana semper uniti extitere, qui factum est quod per tot secula nullum hujusmodi unionis vestigium, ne levissimum quidem, in monumentis hujus Ecclesiae inveniatur? Aliis verbis, si Romani pontifices hujus gentis semper extiterunt pastores, quomodo factum est quod pastores suum gregem nunquam cognoverint, primumque quod in Romana Ecclesia documentum circa illam gentem occurrat, nonnisi ipsius ad Ecclesiam matrem referat conversionem sub Innocentio III. factam?

9. Tandem eos, qui cum Assemano tenent, Maronitas propter monothelismi horrorem a ceteris orientalibus populis se sejunxisse *(Bib. Or. t. 1. pag. 507. col. 2)*, amice lacesso, ut velint, ex tota orientali historia, inde a tempore quo monothelismus in Concilio VI. damnatus est, mihi indicare unam ecclesiam extra Maronitarum castra monothelismo, ut haeresi peculiari, infectam, unum episcopum non Maronitam qui hanc haeresim specialiter defenderit, denique unum populum qui in sua conversione ad Ecclesiam catholicam debuerit Monothelismum abjurare, praeter Maronitarum gentem.

(1) Tempore quo Joannes Maro dicitur primus Maronitarum patriarcha institutus esse, Antiochenam sedem pacifice ac legitime occupabat vel Theophanes, a Concilii VI. oecumenici Patribus creatus, vel ejus successor Georgius, quem Assem. ipse *(Bib. J. Or. t. 5. p. 27.)* affirmat legitime fuisse electum, Concilioque Trullano adfuisse *(ib. p. 33)*. Ex eo tempore, nescio quo anno et qua ratione horum successores potuerunt jus in sedem Antioch. amittere, ut eorum loco novam patriarcharum seriem erigi oporteret. Ceterum de hujus primi Maronitarum patriarchae sanctitate, perperam contendit Revmus aeque ac doctissimus P. P. Masaad vivens Maronitarum patriarcha in suo opere arabice in-

Hinc videmus Innocentium III in citata superius bulla patriarchae Maronitarum nullum sedis titulum dare, sed simpliciter *Maronaeorum patriarcham sive primatem* eum appellare. Ex successivis vero Romanis pontificibus, Alexandro IV, Eugenio IV, Nicolao V, Paullo II, Leone X, Clemente VIII, Paullo III, Paullo IV, Pio IV, Gregorio XIII, Clemente XI, qui cum Maronitis hoc vel illo modo agendum habuerunt, neminem novi eorum patriarchae titulum *Antiocheni* in publicis actis dedisse. Immo constat, Leoni X. « non placuisse, quod (*orato-* » *res Maronitae*) dicerent eum (*idest* Maronitarum pa- » triarcham) *Antiochenum.* » (*Raynald. ad ann. 1516. n. VI.*). Primus ex summis Pontificibus, quem video in publicis documentis Maronitarum patriarcham *Antiochenum* nuncupasse, est Benedictus XIV.

scripto الدر المنظوم *Margaritarum Series, pag. 241 et seq.*, Benedictum XIV. pont. max. judicium tulisse. Nam cum Maronitae solerent a duobus *Maronibus* originem suam repetere, altero monacho, altero patriarcha, quasi unus non sufficeret, cumque Benedictus XIV. utriusque hujus Maronis sed potissimum et fere universe secundi scilicet patriarchae sanctitatem imo et orthodoxiam cognosceret a multis controverti, in epistola supra memorata ann. 1753 ad N. Larcari data, prioris quidem Maronis scilicet monachi sanctitatem confirmavit, de altero autem, patriarcha inquam, nil statuere credidit. Nonne hoc satis indicat, hujus patriarchae sanctimoniam illi spectatissimo accuratissimoque pontifici compertam non fuisse? Quod magis apparet ex tenore quo Benedictus de hoc patriarcha loquitur, cum referat, maxima quidem tolerantia, quae libertatem opinionis supponit, doctos viros arbitrari « Maronitas de Monotheletarum schola prodiisse, Maronem » eorum caput extitisse, eidemque haeresi adhaesisse, » quaestionemque de orthodoxia originis Maronitarum indecisam relinquat. Post Benedictum XIV. nescio an unquam Sedes Apostolica examen instituerit circa Maronis primi Maronitarum patriarchae sanctitatem. Nam quod attinet ad *Audientias, Kalendarium* Romae impressum, denique ad *Effigies*, ad quae omnia praelaudatus Masaad *loco cit.* confugit, responsum in promptu esset.

Illud quoque praetereundum non est, antiqua Maronitarum monumenta unum tantummodo agnoscere Maronem, ut suae gentis Patrem, Coenobiique, ex quo ipsa nomen ducit, patronum, eumque denique simul patriarcham Antiochenum facere.

Ex his oppido liquet, totam rationem ac vim patriarchatus Antiocheni quem Maronitae habent, a benigna institutione Sedis Apostolicae originem habere; quod illius, quin honorem minuat, magis ac magis omnibus venerationem commendat. Sane historia testatur, Romanos Pontifices liberius, ut ita dicam, in isto patriarchatu, veluti praedilecto filio, omni tempore egisse, adeo ut saepe non tantum res disciplinares et quae spiritualem fidelium utilitatem respicerent, in illo disposuerint, verum etiam ipsas rituales mutationes haud leves in illum plane induxerint. Et ad laudem Maronitarum dicendum est, ipsos nunquam plenae ac liberae Romanorum Pontificum actioni in ipsos aliquam vel levissimam resistentiam vel impedimentum interposuisse, adeo ut propter hoc etiam ipsorum Romanorum Pontificum ore eorum laudes celebrari meriti sint.

Denique optimos Maronitas demisse rogo, ut mihi ignoscant quod eadem sinceritate cum illis in dicenda veritate usus sim, ac cum meis Syris atque Chaldaeis, ad quos utrosque pertineo, reminiscentes notissimum Arabum adagium : ما ظلمك من ساواك مع نفسه « Nullam » injuriam tibi infert, qui te eadem ratione tractat ac » seipsum » (1).

(1) Haec disquisitionis pars de patriarchatibus Syrochaldaicarum gentium jam absoluta erat, sub preloque pressa lucem expectabat, cum casu et fortuitu in insigne documentum incidi, quod omnem dirimit controversiam circa antiquorum Maronitarum veram originem. Hoc est *Codex Syr. Vat. 146*, qui continet *Apologiam fidei Maronitarum*, cui hic titulus *(pag. 1.)*: « Libellus fidei sanctae Ecclesiae, factus in coeno- » bio sancti ac θεοφόρου Mar-Maronis beati, cognomento Joannis, qui » erat patriarcha divinae urbis Antiochiae, » etc. (Perperam igitur existimavit Assemanus hunc *Libellum* esse fetum ipsius Maronis). In prologo *(fol. 2.)* dicitur Maro disputasse contra Eutychianos, contra Nestorianos, ac demum « contra discipulos (*idest* sequaces) Maximi, » qui confitentur duas *(in Christo)* voluntates, juxta placitum impe- » ratoris illius temporis. » (Vel ipsi itaque Maronitae, non secus ac ceteri Syro-chaldaici generis populi [*Vid. quae pag. 64 disseruimus*], dispositiones in rebus fidei imperatorum arbitrio tribuebant. Codicem recentissime vitiavit improba manus, quae corruptis tribus lit-

Ut vero omnia quae hactenus de patriarchatibus populorum Syrochaldaicorum sparsim disseruimus, sub unum redigamus oculi ictum, quo eminentius pateat argumenti evidentia atque magnitudo, dicimus Pontifices Rom. sine dubio in singulos patriarchatus orientales, quamcumque tandem habeant originem, juxta ipsa Syrochaldaeorum certa principia, quae suis locis perpendimus, eadem pollere auctoritate ac in ceteros Orbis episcopatus. Numquid enim cum Christus agnos et oves Petro commisit

teris, nomen ܡܟܣܝܡܘܣ *Maximus* in ܐܢܬܝܡܘܣ *Anthimus* insipide mutavit, et ܬܪܬܝܢ *duas* in ܚܕܐ *unam;* cujus corruptionis manifestissima adhuc extant in Codice indicia. Arabica tamen versio, quae e latere Syriaci textus prostat, ab hujusmodi barbarie immunis evasit, nescio qua causa; in ea enim adhuc diserte legitur Maronem « plura cumulasse » argumenta ad refellendum dogma Maximi monachi, qui imperatoris » Marciani *(sic)* et ejus fratris opera duas affirmavit voluntates. » Eadem improba manus extrema *Libelli* folia inde *a fol. 124.* e codice divulsit, quae continebant finem disputationis contra Nestorianos, nec non integram disceptationem contra *sequaces duarum voluntatum*. Interim observandum venit, in toto Libelli istius cursu nunquam alia nominari Concilia oecumenica praeter quatuor priora !!!

In altera ejusdem Codicis Vaticani parte, quae incipit *a fol. 131* (cuique barbara illa manus, ob causam quam hic non vacat referre, fausta fortuna pepercit), valde prolixe exhibetur acerrima concertatio, quae anno 1089 inter *Thomam* episcopum *Maronitarum* Alepi et *Joannem* patriarcham *Melchitarum* exarsit. Porro totus cardo hujusce disputationis circa hoc versabatur, quod « Melchitae duas esse in Christo voluntates asserebant, Maronitae autem e contra affirmabant in » Christo incarnato divinitatem esse et humanitatem, duas naturas » unitas, *cum una voluntate.* » *Fol. 134. et seq.* insulsae adeo atque injuriosissimae congeruntur fabulae contra sanctum fidei defensorem Maximum abbatem, quasi ipse dogma duarum voluntatum excogitaverit. *Fol. 148. et seq.* perbelle narrantur sectae Maroniticae initia. Dicitur enim: « Imperator Marcianus *(sic)* decretum ad omnes Imperii » populos misit, quo iis praecipiebat professionem duarum voluntatum; » Syri autem Alepi, Damasci, Montis Libani, Hemesae et Apameae, » cum ad ipsos illud decretum pervenit, illi obtemperare noluerunt, » dicentes: Nos sentimus sicut monachi coenobii Syrorum, ex S. Maran » nuncupati. Quae cum audissent illi monachi, acerbissimas scripse» runt ad imperatorem litteras... At cum eo tempore Graeci impera» tores in debellandis Muhammedanis occupati essent, nullam amplius

pascendos, aut fratres suos confirmare eum jussit, Orientem ab Occidente distinxit? Aut numquid Occidens majori indiget unitatis vinculi constrictione quam Oriens, qui e contra, etiam cum in schismatibus versabatur, per unitatis fortissimae similitudinem, etsi a verae unitatis centro separatus, ab extremo decidio servatus est? Profecto si nulla sacro episcopatui a Christo instituto illata est injuria, nullumque disciplina ecclesiastica detrimentum passa est, cum Rom. Pontifices tot ac tam eximiis episco-

» molestiam monachis S. Maronis tulerunt. Tunc incolae Montis Li- » bani, Hemesae, Alepi doctrinam praedictam retinuere; nomenque » ex illo tempore duxerunt a coenobio S. Maronis, atque sic Maroni- » tae appellati fuerunt. » Ad calcem Codicis haec legitur inscriptio: « Absolutus est codex hic sacri Libelli fidei quam tenet sancta Ec- » clesia, anno Graecorum millesimo, septingentesimo ... tertio, » qui respondet anno Christi millesimo quadringentesimo ... secundo. (Numerus decimalis, non sine consilio a praedicta barbara manu deletus est). Interim observemus, in ipso seculo XV. ineunte, quo hic codex et alter, de quo *pag. 98 in nota,* exarati sunt, Maronitas monothelismo haud exemptos fuisse; primamque illorum sub Innocentio III. pont. max. factam conversionem, vel non fuisse universalem, vel inconstantem extitisse, ita ut merito ea debuerit sub Eugenio IV successoribusque papis renovari.

Post ea quae de his duobus antiquae gentis Maroniticae monumentis speciminis ad instar praelibavimus, *Cod.* inquam *Vatican. Syr. 133 et 146*, qui unici, quod ego sciam, ex vetustis genuinisque illius gentis documentis a TEMPORIS NEQUITIA salvi (quamquam haud omnino incolumes) ad nos pervenerunt, nemo non videt, quantam ex ipsorum uberiori completaque investigatione sacrarum antiquitatum scientia utilitatem traheret. Porro habet adhuc insignis Bibliotheca Vaticana et alios pretiosissimos codices Syrochaldaicos, qui rerum antiquarum amantium attentione apprime digni sunt, quosque ut illustraret praestantissimus J. S. Assemanus, ejusdem olim bibliothecae dignissimus praefectus, tempus illi haud suffecit. Fateri quoque oportet, post Assemanum a nullo hucusque bibliothecario, qui illi in summa rerum Syrochaldaicarum scientia posset comparari, Vaticanum hunc Thesaurum illustratum fuisse. Ceterum (liceat obiter notare) nova Syrochaldaica bibliotheca, quam superiori anno, ut alibi dixi, ad S. Congreg. de Propag. Fide ex Oriente attuli, haud minoris momenti continet copiosissimos codices, quorum studiosa investigatio non leve sacris Orientalis Ecclesiae litteris emolumentum afferret.

pis Occidentalibus usum potestatis in aliquibus ab immemorabili tempore coarctarunt, non videmus cur res haud eadem ratione se habere debeat erga Orientales episcopos. Numquid enim, ut ad ineluctabile nostrum argumentum redeamus, numquid Nestorianorum Summus Pontifex in exercitio suae mutuatae potestatis tenebatur Orientem ab Occidente, Austrum ab Aquilone, unam nationem ab aliis distinguere? Certe si Nestoriani, et in genere Schismatici Syrochaldaici, evidentissimam, constantem, atque unanimem, uti vidimus, traditionem nobis exhibent circa Capitis Ecclesiae summas praerogativas, similem traditionem nobis haud transmisere circa hujusmodi distinctiones unius gentis ab altera, circa majorem vel minorem alicujus erga Caput Ecclesiae libertatem.

Nam Christus qui unus est et dividi nequit, unitatem amat, unamque fundavit Ecclesiam, quam modo uni regno assimilavit, cui unus sit rector, modo uni navi, cui unus sit navarchus, modo uni domui cui unus oeconomus, modo uni gregi cui unus pastor. Ideo licet episcopatum ad singulas regendas ecclesias sollemniter instituerit, eumque dotibus propriis ornatum voluerit, unum tamen constituit summum Pastorem, cui munus commisit pascendi et agnos et oves, omnesque fratres idest episcopos confirmandi. Hic sapientissimus ordo violari, immutari in Ecclesia nequit, utpote qui ex divina dispositione derivatus. Ast cetera quae ad majorem hujus divini ordinis obtinendam explicationem, ad faciliorem reddendam fidelium administrationem Ecclesia ipsa invexit, puta Archiepiscopatus, Metropolitanatus, Primatus, Patriarchatus, utpote pro Ecclesiae bono constituta, haec possunt juxta rationem majoris Ecclesiae boni variari. Haec est vera idea Ecclesiae, quam Evangelium nobis exhibet, quam traditio et praesertim Syrochaldaeorum nobis confirmat, quam ratio theologica nobis suadet. Denique in Ecclesia Christi ipsa idea unitatis inducit ideam aequalitatis; in ea enim « non est barbarus et Scytha, servus et liber. »

Hanc veram Ecclesiae theoriam, aliis verbis exprimen-

tes nostri Nestoriani, sic dicerent: « Ecclesia Christi super » obedientiam eminenter fundata est. Itaque simplices fi» deles Diaconis obedire tenentur; diaconi cum fidelibus » subjecti esse debent Presbyteris; presbyteri cum diaco» nis et fidelibus Episcopo; episcopi cum cleris et popu» lis Metropolitae; metropolitae Patriarchae; patriarchae » cum omnibus ceteris Supremo Ecclesiae Capiti, cui ne» mo superior praeter Deum, cujusque solius judicium » Deo reservatur » (V. quae supra sub litteris **DDD**, **ZZZ**, זז, סס protulimus).

Si igitur, ut magis ad hanc sublimem aequalis unitatis ac obedientiae ideam ascendat Ecclesia, debent subinde singuli Episcopi aliquam propriae potestatis facere jacturam, Ecclesia tamen universa inde maxime lucratur, utpote quae per hoc fortior redditur contra tot hostium diabolicos conatus, qui eam incessanter impetunt, ejusque sacrosanctum corpus dividere ac discerpere nituntur, sicque eam destruere sperant.

Utinam possem debilem vocem meam usque ad caras Orientis plagas ex hac alma Urbe mittere, et ad aures fratrum meorum, gentilium meorum, concivium meorum sic praedicare! O vos qui tantopere unitatem in Ecclesia pertimescitis, qui incrementum auctoritatis Romanorum Pontificum formidatis, mementote, si noveritis, qui sunt hi Romani Pontifices quorum celsitudo vos terret. Hi sunt illi, qui omnibus praeteritis seculis Occidentem, qui illis fortiter adhaeserat, protexerunt, custodierunt, ab innumeris malis liberarunt, ad maximum perfectionis gradum in ordine civili, intellectuali, morali, religioso elevaverunt; qui causa fuerunt, ne eadem tristissima sors, quae Orientem excruciavit, dissolvit, disperdidit, Occidentem quoque pertingeret. Evidentissimum argumentum sumite ex illis populis qui propius, strictius, constantius huic B. Petri Cathedrae hodie adhaerent. Et nunc etiam, credite mihi, si vultis et vos eandem fortunatam sortem obtinere, si beatam ducere cupitis vitam, si accedere optatis

ad illam prosperitatem qua Occidentalis Ecclesia fruitur, convertite et oculos vestros et corda vestra ad illam fortissimam Arcem Petri, ex qua ut a splendidissimo Sole salutiferi radii emanant et in totum terrarum Orbem diffunduntur, et ubique locorum lucem, robur, vitam praestant, quibus omnibus Ecclesia catholica sustinetur.

Certissimi estote, amici, Romanos Pontifices caros vestros ritus ususque proprios fidei ac religioni non contrarios non solum nolle destruere, sed vehementer amare ac venerari, cum ii per strictissima edicta saepe praescripserint, ut nemo cujuscumque dignitatis ac conditionis ritus orientales ab antiquissimis temporibus in Ecclesia vigentes audeat immutare, vel quomodocumque tangere. Si quem ergo inter vos ex privata auctoritate hoc facere tentantem videatis, confidenter resistite illi, quia Sedes Apostolica hoc non mandat, non desiderat, non vult.

Videte quomodo omnes Ecclesiae catholicae hostium conatus ad hanc impetendam Petri Cathedram tendunt; videte quomodo huc collimant omnia tela quae Infernus contra Christi Sponsam continuo ejicit! Nonne hoc satis evidenter indicat, ipsos nostros hostes compertum habere, totam vim hujus divini Aedificii ab hac Petra super quam Christus ipse illud fundavit, omnino pendere? Caveamus ne et nos hanc piissimam Matrem, quam defendere nobis carum esse debet, ipsi cum inimicis nostris impetamus; caveamus, ne arma manibus eorum in nostram ruinam tradamus.

Denique si Syrochaldaeos dulcissimae unitatis deliciae non alliciunt, si tot tantorumque populorum exemplum persuadere nequit, imitentur ii, quaeso, saltem majores suos, qui quamquam in schismate et haeresi versantes, quamquam variis in capitibus a veritate aberrantes, quoad gravissimum tamen religionis fundamentum, necessitatem inquam supremae auctoritatis, qua Ecclesia regi debeat, et recte semper sensere et congruenter egere. Ii enim unitatem in omnibus agnovere, in legibus, in

canonibus, in hierarchia, in obedientia supremae auctoritati debita; etiam in rebus indifferentibus, ut sunt ritus et similia; nullum enim discrimen quoad summum auctoritatis principium agnoscebant ii inter hunc vel illum populum, inter hanc vel illam regionem. Nimirum ignota erat majoribus nostris notio illa Ecclesiae πολυκέφαλου, quam nonnulli vel inter ipsos catholicos invehere conantur; ii enim nonnisi unum episcopatum cognoscebant, uni summo Pontifici aequaliter subjectum.

Cessent igitur qui *incrementum auctoritatis* Sedis Apostolicae formidant, cessent nobis praetexere Schismaticorum conversionem. Schismatici enim orientales exercitium summae auctoritatis *Papae Romani* non mirantur, sed e contra obstupescunt cum videant Papam nostrum minus exercere auctoritatis in Catholicos, qui tantopere unitate gloriantur, quam ipsorum Patriarcham in ipsos. Adhuc enim Schismatici non audierunt Pontif. Romanum alicui episcopo prohibuisse ipsas presbyterorum et diaconorum ordinationes facere. Concludamus igitur, nullum argumentum pro illis catholicis militare, qui nonnisi cum conditionibus et limitationibus supremam Capitis Ecclesiae potestatem agnoscere volunt, ipsaque Romanorum Pontificum abuti tentant pia ac sapienti dispensatione, ut illorum minuant auctoritatem.

Numquid enim cum Pontifices Romani ex benigna sua indulgentia populis nostris Syrochaldaeis elargiti sunt, ut contra antiquum morem, imo contra canones quibus ii tantopere innituntur, singuli suum habeant *patriarcham*, numquid, inquam, id Pontifices summi praestitere, ut in exercitio universalis Ecclesiae regiminis manus suas ligarent, limitesque suae potestati ipsi ponerent, quam nec ipse Christus ullis limitibus praeter Verum ac Bonum circumscribere voluit? Etenim nonne Romani praesules possent, si vellent, omnes omnino Orientis populos sub unius patriarchae potestatem redigere, Chaldaeos, Syros, Maronitas, Armenos, Melchitas, quemadmodum seculo IV. ii erant? An quia sapientis-

simi aeque ac pientissimi Pontifices hujusmodi molestiam nolunt Orientalibus populis dare, erit id argumentum contra exercitium ipsorum plenae ac universalis auctoritatis?

Haud igitur majorem Pontifices Romani habere tenentur rationem *patriarchatuum* gentium Syrochaldaicarum, quos ipsi recentissime instituerunt, quam *primatuum* Hungariae, Belgii, Hiberniae, Hispaniae, etc. qui multo antiquiorem habent originem quam patriarchatus Babylonensis Chaldaeorum, Antiochenus Maronitarum, ac Antiochenus Syrorum, praesertim cum hi, habita ratione tristissimarum conditionum in quibus misere versantur, potiori directione, majori adjutorio, saniori denique consilio indigent; nec illorum *Primatum* numerosiores ditioresque suffraganei minorem possent sibi vindicare libertatem quam *Patriarcharum* nostrorum metropolitae atque episcopi. Nam Patriarchae talem libertatem erga seipsos suis suffraganeis, qui eam forte possent jure reclamare, concedere inopportunum censent; eccur hi vel illi eam habere debebunt erga summum Ecclesiae Principem?

Sane (liceat nobis ingenue interrogare) quo peculiari clarescunt merito nationes Chaldaica, Syriaca, Maronitica ut praeter meram gratuitamque Sedis Apostolicae benevolentiam magnos pontifices privilegiis dotibusque eximiis ornatos habere debeant, prae nationibus Anglica, Americana, Germanica, Hispanica, Gallica, etc. quarum unaquaeque omnes Orientis populos christianos numero, ne dicam aliud, longe superat? An quia Chaldaei, cum sub nestorianismi dominio erant, patriarcham habebant, qui, utpote suae haereticae Ecclesiae caput, propriis privilegiis et distinctis juribus gaudebat, idem et in Catholicismo habere necessario debent? Nequaquam sane; sed quod olim Chaldaeis Nestorianis erat patriarcha Seleuciensis, nunc est Chaldaeis Catholicis Pontifex Romanus. Cui omnes Catholici obedire tenentur, sicut omnes Nestoriani patriarchae Seleuciensi. Idem dicendum de ceteris gentibus Syrochaldaicis. Nisi enim unusquisque ex

*

simplicibus pastoribus suo supremo et universali Pastori *in omnibus* obtemperaret, quonam jure poterit is suum gregem impedire, ne erga ipsum eadem ratione se gerat ac ipse erga suum Antistitem? (1).

Ex his omnibus concludimus, populos Syrochaldaeos non posse sibi vindicare distinctiones, nisi illas quas summi Pontifices, habita ratione necessitatis ac utilitatis Ecclesiae, ipsis benigne concedere volunt, quo et ut illae conserventur digniores se reddunt, et ut augeantur, benevolentiam Sedis Apostolicae, si rerum adjuncta id patiantur, alliciunt (2).

(1) Confer. pag. 62, 63.

(2) In tota hac disquisitione nullam specialem patriarchatus hodierni Melchitarum catholicorum mentionem facere credidimus, utpote qui, quamquam, ut alibi notavimus, et ipsi olim ad magnam Syrochaldaicae stirpis familiam pertinerent, multis tamen abhinc seculis Ecclesiam Constantinopolitanam in omnibus secuti, nihil jam amplius habent communis cum ceteris Syrochaldaicis populis, nisi fidem et patriam.



APPENDIX II.

Quibus animi dispositionibus Syrochaldaici populi definitionem Infallibilitatis Romani Pontificis accepturi sint.

Ut huic quaestioni adaequatum dari possit responsum, sequentia iuvat praemonere.

1. Romani Pontificis infallibilitas nunquam inter Syrochaldaeos negata est, sive in scriptis sive voce tenus. Nam nullum adhuc exstat apud illius nationis varios populos tam catholicos, quam schismaticos, scriptum, quod sive lingua vulgari sive litterali, sive directe sive indirecte illam doctrinam impugnet. Recentissime tantummodo Protestantes in libris lingua vulgari contra nostram sanctam religionem compositis, hanc veritatem sicut et cetera fidei catholicae dogmata impugnandi morem induxere. At cum protestantismus sit communiter in Oriente valde odiosus tum apud Catholicos, tum etiam apud Schismaticos, huiusmodi hostium Ecclesiae diatribae in communi horrore habentur; adeo ut etiam cum legantur, contrarium potius in lectorum mentibus producant effectum, quam illum quem earum auctores intenderunt. Libri autem Schismaticorum theologi aut polemici, quamquam errores suos totis viribus conentur defendere, hoc caput de quo agimus, scilicet Romanorum Pontificum infallibilitatem non attingunt. Imo, res valde admiranda! nullum opus apud Schismaticos nostros (loquor tantummodo de Nestorianis et Jacobitis) adhuc confectum reperitur, in quo vel ipse primatus iurisdictionis Romanae Ecclesiae impugnetur (1). Obiectiones vero quibus nonnulli ex recentiori-

(1) Vide quae *fol. 65. n. 2.* disseruimus.

bus Schismaticis in forensibus et domesticis conventibus solent iura summi Ecclesiae catholicae Pontificis cum catholicis hominibus disputare, eas ex Protestantium familiaritate et amicitia vel ex eorum libris didicerunt.

